De Demosthenicarum quae feruntur epistularum fide et auctoritate.

Dissertatio inauguralis philologica

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Lipsiensi

rite impetrandos

scripsit

Albertus Neupert
Dresdensis.

LIPSIAE
typis Gust. Schmidtii
MDCCCLXXXV.

Arte critica in dies magis magisque exculta cognitum est permultas epistulas claris viris adscriptas, quae ex veteribus temporibus ad nos pervenerunt, suppositicias esse. Cavendum tamen est, ne quasi indicta causa ad unam omnes illae epistulae condemnentur. Demosthenicas autem quae feruntur epistulas indicta causa condemnatas esse Blassius[1]) quidem contendit idque suo ut equidem putaverim iure, quoniam viri docti ante eum non tam demonstraverunt quam indicaverunt, quid quisque de epistularum fide sentiret.

Inter eos autem viros doctos, qui Demosthenem auctorem epistularum esse putant, primum commemoro Hier. Wolfium[2]), qui epistulis paene ad lacrimas se commoveri profitetur. Item Reiskius[3]) tantum abest, ut epistulas a Demosthene abiudicandas esse censeat, ut iis se magis quam orationibus delectari disertis verbis doceat. Idem alio loco[4]) dicit: „Universe his epistulis (scil. Aeschinis) parum diligentiae adhibui, annotationum nihil addidi, quae sint confictae, isto nomine indignae. Demosthenis autem quae nomen praeferunt, eius sunt, genuinae sunt, tam perspicuis insignitae notis veritatis, ut sensu carere eum necesse sit qui contra dicat.“ Neque minus Schoellius[5]) epistulas pro genuinis habet. Etiam Wachsmuthius[6]) in eadem fuisse sententia videtur. Quattuor saltem

---

1) In commentatione, cui inscribitur Ueber die Echtheit der Demosthenes' Namen tragenden Briefe, in progr. Regimont. 1875, pag. 1.

2) In Dem.—oper. e Graeco in Lat. sermonem convers., Bas., tom. I, p. 117.

3) In interpret. germ. operum Dem. t. II, p. 783.

4) Cf. eius annotat. ad Aeschinis epistulas in Dobsoni editione operum Dem. et Aesch., Londini 1828, tom. 8 (Aesch.) p. 366.

5) In libro, cui inscribitur Gr. Litteraturgeschichte, Uebers., I, p. 421.

6) Cf. eius libr., quem inscripsit Hellenische Alterthumskunde, Hal. Sax., 1844², vol. I, p. 672.

primas epistulas Demostheni vindicare studet G. H. Schaefer [1]), cui „quamvis suspicioso certa falsarii vestigia deprehendere non licuit". Tamen iam dubitantem eum videmus, quippe qui pergat: „Quodsi has epistulas orator Paeaniensis non scripsit, scripsit homo non contemnendus, dignissimus ille princeps vocari sophistarum, e quorum officinis tot epistulae suppositiciae prodierunt, ut in semetipsum videatur fuisse iniuriosus, cum doctae fraudis tegendae ergo latere personatus quam nomen magna celebranda laude ad posteritatis memoriam prodere mallet. Ceterum haec intellegantur de quattuor primis epistulis; nam de quinta sextaque prorsus assentior iis, qui a Demosthene scriptas esse negant." De tertia epistula G. H. Schaefer ita iudicat: „Ac nisi meus me sensus prorsus fallit, toti impressa sunt signa talis facundiae, quae aut Demosthenem aut aemulum eius oratorem deceat." Eandem fere sententiam fert A. G. Becker [2]). Postremo Blassius secundam certe tertiamque epistulam Demostheni ipsi vindicandas esse censet, primam a Demosthene tantummodo inceptam, non perfectam esse dicit; de sexta autem cum certum iudicium propter brevitatem eius ferri vix posse sentiat, ceteras ab oratore illo abiudicandas esse concedit [3]).

Alii viri docti epistulas omnes a Demosthene abiudicant. Primus, quod sciam, Taylorus [4]) haec dicit: „Nemo hodie in re litteraria reliquus est, qui Demosthenis epistulas confictas atque isti nomini temere assutas esse non crediderit. Adeo numquam de ea re vel minima exstiterit dubitatio"; conferas eiusdem proleg. ad orat. adv. Aristogitonem hab., ubi haec legimus: „— in litteris, quas (Demosthenes) exsul S. P. Q. A. pro liberis Lycurgi dedit, si tamen dederit, —". Etiam Ruhnkenium [5]) dubitasse, num Demosthenes auctor epistularum esset, ex iis apparet, quae ille ad Rutilii Lupi locum quendam annotat: „Quod de eius (sc. Pytheae) aere alieno dicit, Demosthenes vel quisquis auctor est epistulae de Lycurgi liberis p. 199 D confirmat." Breviter docet F. A. Wolfius [6]): „Ausserdem sind Prooemien von ihm (Demosthenes)

1) In appar. critic. ad Dem. tom. V, p. 722.

2) In libro, cui inscr. Demosthenes als Staatsbürger, Redner und Schriftsteller, Quedlinb. et Lipsiae 1830, p. 61—63.

3) L. l.; plane eadem sententia repetitur in eius libro, cui inscribitur Die attische Beredtsamkeit, Abth. III, Abschn. I, p. 383 seq.

4) In praef. ad Aeschinis epistulas in Dobsoni ed. l. tom. 8, p. 294.

5) In eius ed. Rut. Lup. de fig., Lugd. Bat. 1768, p. 40.

6) Cf. libr., cui inscr. Vorlesungen über die Alterthumswiss., ed. Gürtler, Lips. 1831, vol. II, p. 378.

übrig, die er entwarf für Reden, die er aus dem Stegreif einmal halten würde. Sie sind echt, aber nicht die Briefe. Die Rede, die Epitaphios heisst, und die für die im Felde gebliebenen Bürger, sind nicht echt.“ Boeckhius [1]) quoque quamquam nonnulla quae in tertia epistula commemorantur vera esse demonstravit, tamen epistulas non habet pro genuinis. Confidentius etiam Dobraeus [2]) iudicat epistulas esse „procul dubio spurias et sophistae ineptissimi foetus.“ Westermannus [3]) omnia argumenta, quae contra Demosthenis auctoritatem facere videantur, his breviter comprehendit: „Me ut ficticias arbitrer cum compositio movet minime Demosthenica, tum anilis auctoris verbositas, indigna tali viro mali immeriti licet perferendi inertia atque ignavia, exsultans in se ipso praedicando importunitas, simplex criminis sine ulla argumentatione recusatio, quodque id ipsum satis inepte inventum videtur, voluisse exsulem in rem publicam regendam, in qua nullae ipsius amplius fuere partes, se interponere, infestumque sibi senatum epistulis identidem mittendis et exacerbati populi animum delenire se posse speravisse“. Idem iudicare videtur G. Kiesslingius[4]), cum sententiam A. G. Beckeri supra commemoratam impugnet. Etiam F. Rankius [5]) epistulas a Demosthene abiudicare mavult; dicit enim haec: „Schäfer verwirft den fünften und sechsten, hält aber die Echtheit der vier ersten fest und in der That ist ein grosser Unterschied zwischen dem ersten und letzten Briefe vorhanden. Dennoch wage ich nicht mit einiger Sicherheit anzunehmen, dass die ersten wirklich aus Demosthenes' Feder hervorgegangen.“ His viris doctis assentitur Clintonus, qui in fastis Hellenicis[6]) haec annotat: „The epistles although their genuineness may be doubted, are yet quoted by early grammarians.“ Neque minus Cobetus[7]) ita iudicat: „Qui supposuit epistulas Demostheni olim attributas, Aristogitonem in causa Harpalica absolutum esse putabat. — Non est operae pretium

---

1) In libro, cui inscr. Staatshaushaltung der Athen. II² p. 115; III, p. 244, 427.

2) In adversar. ed. Scholefield., Cantabr., I, p. 525.

3) De epist. scriptoribus graecis commentationis part. IV, p. 13; cf. eius libr., cui inscr. Geschichte der gr. Beredtsamkeit p. 306.

4) Ergänzungsblätter zur allgemeinen Litteraturzeitung, Halle, Mai 1832, p. 366.

5) Cf. Ersch und Grubers Encyclopaedie der Wissenschaft und Künste, 24. Theil, p. 118.

6) Oxon. 1841, tom. II., p. 442.

7) In miscell. critic., Lugd. Bat. 1876, p. 579.

de hoc homine dicere, nam nunc quidem sophistam declamitantem tenemus." Eodemque modo Bekker, Baiter et Sauppius, Dindorfius alii editores epistulas Demostheni eripiunt. Arnoldus denique Schaefer, quem nuper vita excessisse valde dolemus, quam brevissime quid de epistulis sentiat in libro cui inscribitur „Demosthenes und seine Zeit" declarat.[1]) Postquam vero Blassius utroque loco quem commemoravimus tres primas epistulas Demostheni tribuendas esse probatum ivit, A. Schaefer causas, quibus commotus Demosthenem illarum epistularum auctorem dicere nollet, exposuit in annalibus philologicis 115 (1877) p. 161—165. Blassius autem in iisdem annalibus p. 541—544 sententiam suam iterum defendit. Quamvis vero uterque diligenter in rem inquisiverit, neutrum tamen quaestionem absolvisse arbitror. Imprimis sermo epistularum dignus esse mihi videtur, qui accuratius tractetur. Quare operae pretium esse puto de harum epistularum fide et auctoritate iterata cura disserere.

Ac primum quidem videtur opus esse allatis testimoniis veterum scriptorum, apud quos Demosthenicas epistulas commemoratas invenimus, examinare, num quid ex iis de fide epistularum concludi possit. Firmissimo argumento niteremur, si epistulas sub Aeschinis nomine traditas genuinas putare liceret neque in ea ipsa re, quod eius undecima epistula et duodecima saepius cum nostris conveniunt, inesset quidam anachronismus. Legimus enim (Aesch.) ep. XI, 2: *ἀκούω δὲ τοὺς μὲν αὐτοῦ παρόντας, τοὺς δὲ καὶ δι' ἐπιστολῶν κινεῖν τι τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων* et § 11: *φάσκουσι γὰρ δεῖν ὑμᾶς ὁμονοεῖν.* Haec verba sane ad primam Demosthenicam epistulam respiciunt, quae est *περὶ τῆς ὁμονοίας.* Deinde legimus (Aesch.) ep. XII, 14: *καὶ περὶ μὲν τῶν Λυκούργου παίδων Δημοσθένης ὑμῖν ἐπιστέλλει,* id quod fit nostra epistula tertia. Ut igitur has Aeschinis quae feruntur epistulas mittamus, primus Cicero quasdam Demosthenis epistulas se legisse tradit; cui quintam fortasse earum quae exstant epistularum ante oculos fuisse infra demonstraturus sum. Quintiliano[2]) quoque Demosthenis aliquas epistulas notas fuisse ex eo intellegitur, quod illum cum Cicerone comparans dicit: „In epistulis quidem, quamquam sunt utriusque, — nulla contentio est."

In Plutarchi vita Demosthenis complures locos cum similibus nostrarum epistularum congruentes reperimus. Legimus enim cap. 25 haec: *αἰσχύνῃ τῆς αἰτίας φασὶ καὶ δι' ἀσθένειαν τοῦ σώματος, οὐ δυναμένου φέρειν τὸν εἱργμόν, ἀποδρᾶναι* paulloque infra:

1) Vol. III, 2, Beilagen, p. 215.
2) In inst. orat. X, 1, 107.

ἤνεγκε δὲ τὴν φυγὴν μαλακῶς, ἐν Αἰγίνῃ καὶ Τροιζῆνι καθεζόμενος τὰ πολλὰ καὶ πρὸς τὴν Ἀττικὴν ἀποβλέπων δεδακρυμένος. Quibus cum verbis qui comparaverit ea, quae ep. II, 17[1]) tradita sunt: πρῶτον μὲν τοὔνειδος τῆς εἱρκτῆς χαλεπῶς τῷ λογισμῷ φέρων, εἶτα διὰ τὴν ἡλικίαν οὐκ ἂν οἷός τ' ὢν τῷ σώματι τὴν κακοπάθειαν ὑπενεγκεῖν et ep. II, 20: ὅτι καὶ τὴν πατρίδα ἐντεῦθεν ἑκάστης ἡμέρας ἀφορῶ, negare vix poterit aut, ut quam cautissime iudicemus, utrumque auctorem ex eodem fonte hausisse aut, id quod veri videtur esse similius, vel Plutarchum ipsum vel eum, quem Plutarchus exscripsit, secunda epistula usum esse. Ipsum quidem Plutarchum si non omnes orationes Demosthenis, at certe eam, quam de corona habuit, usurpasse notum est, quod etiam Gebhardus[2]) declarat, quem miror nihil de nostris locis dicere. Tamen illud φασί (αἰσχύνῃ τῆς αἰτίας φασί) testimonio esse mihi videtur hunc locum non a Plutarcho ipso ex nostra epistula haustum esse. Praeterea Plutarchus in eo, quod Demosthenem Aeginae et Troezene fuisse tradit, ab epistula recedit, quae eum Troezenem et Calauriam se contulisse narrat.

Apud Pseudo-Plutarchum expressis verbis Demosthenem de Lycurgi liberis epistulam ad Athenienses dedisse traditur. Legimus enim vit. X orat. p. 842 D (vit. Lyc.): Δημοσθένους δὲ καθ' ὃν ἔφυγε χρόνον ἐπιστείλαντος τοῖς Ἀθηναίοις, ὡς κακῶς ἀκούοιεν ἐπὶ τοῖς Λυκούργου παιδίοις. Qua de re, ut iam diximus, tertia epistula agitur. Neque ulla est dubitatio, quin in iis, quae ibidem p. 841 E scripta sunt: διετέλεσέ τε τὸν ἅπαντα χρόνον εὐδοκιμῶν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις καὶ δίκαιος εἶναι νομιζόμενος, ὥστε καὶ ἐν τοῖς δικαστηρίοις τὸ φῆσαι Λυκοῦργον ἐδόκει βοήθημα εἶναι τῷ συναγορευομένῳ, illud τὸ φῆσαι Λυκοῦργον fluxerit ex tertiae epistulae paragrapho 6: οὕτω δ' ἐπιστεύετ' αὐτῷ καὶ δημοτικὸν παρὰ πάντας ἡγεῖσθε, ὥστε πολλὰ τῶν δικαίων ἐν τῷ φῆσαι Λυκοῦργον ἐκρίνετε καὶ τοῦθ' ὑμῖν ἐξήρκει. Nam facile intellegitur singularem illam locutionem, quae est τὸ φῆσαι Λυκοῦργον, vix casu a duobus scriptoribus inventam esse.

Aristides[3]) rhetor in oratione, cui similiter ac primae epistulae Demosthenicae inscribitur περὶ ὁμονοίας ταῖς πόλεσιν, extrema verba tertiae, non ut falso ipse dicit primae[4]) epistulae, profert: Δημοσθένης δὲ ἐπιστέλλων Ἀθηναίοις περὶ τῆς ὁμονοίας τὴν ἐν

---

1) Ex Dindorfii rec. Lips. (vol. III, p. II, ed. tert. 1878).

2) De Plutarchi in Demosthenis vita fontibus ac fide, in progr. Monac 1880.

3) I, p. 792, ed. Dind. Lips. 1829.

4) In primae epistulae fine etiam vox quae est ἧττα legitur, unde fortasse hic error natus est.

τοιούτοις ἧτταν καλὴν καὶ προσήκουσαν ἔφη νίκην παρὰ τοῖς εὖ φρονοῦσι κρίνεσθαι λέγων, ἣν γονέων υἱεῖς ἡττῶνται, ὃ καὶ πολῖται συγχωροῦσιν ἀλλήλοις. Idem Aristides [1]) cum in *τεχνῶν ῥητορικῶν* libro A exempla quaedam „*βαρύτητος*“ explicet, hunc tertiae epistulae (§ 42) locum vituperat: *ὡς ἔχει καὶ τὸ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς „εἰ δὲ τὸ περιφανὲς ἀξίωμα τῆς βουλῆς ἢ τὸν Ἄρειον πάγον προσβλέπετε, τῆς Ἀριστογείτονος κρίσεως ἀναμνησθέντες ἐγκαλύψασθε· οὐ γὰρ ἔχω πραότερον πρόσφθεγμα τοῖς ἐξημαρτηκόσιν εἰς ἐμὲ αὐτὸν εἰπεῖν“* paulloque infra hunc tertiae epistulae (§ 37) locum: *καὶ αἱ διαπορήσεις δὲ αἱ ἐν τοῖς σχετλιασμοῖς βαρύτητα ἔχουσιν· ὥσπερ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς „ὦ, τί ἂν εἰπὼν μήτε ἁμρτεῖν δοκοίην μήτε ψευσαίμην; λίαν ὀλίγωροι“.*

Eodem modo Hermogenes complures locos secundae et tertiae epistulae, partim eosdem quos Aristides, reprehendit. Iis enim in libro, quem *περὶ ἰδεῶν* scripsit, „*τραχύτητος*“ exemplis utitur. Primum hoc est [2]): *Ἔννοιαι τοίνυν εἰσὶ τραχεῖαι πᾶσαι αἱ τῶν μειζόνων προσώπων ἐπιτίμησιν ἔχουσαι ἀπό τινος τῶν ἐλαττόνων προσώπων ἀπαρακαλύπτως ὡς τὸ „εἴπερ τὸν ἐγκέφαλον ἐν τοῖς κροτάφοις καὶ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖτε“* (= (Dem.) or. 7,45) *καὶ τὸ „ἀλλὰ μανδραγόραν πεπωκόσιν ἤ τι φάρμακον ἄλλο τοιοῦτον ἐοίκαμεν ἀνθρώποις“* (= (Dem.) or. 10,6) *καὶ πάλιν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς „εἰ δὲ τὸ περιφανὲς ἀξίωμα τῆς βουλῆς* usque ad *ἐγκαλύψασθε“* (= ep. III, 42). Totum locum apposui, unde intellegatur, quo rerum contextu epistula commemoretur; nam alter locus sumptus est ex septima oratione Demosthenica, cui *περὶ Ἀλοννήσου* inscribitur, quae tamen certe non est Demosthenis, sed Hegesippi; alter ex decima oratione ipsa quoque spuria (*κατὰ Φιλίππου τετάρτη*). Paullo infra p. 235 reperiuntur haec: *ἐπεὶ καὶ τοῦτο, ὃ καὶ αὐτό ἐστιν ἐν ἐπιστολαῖς „τὸ γὰρ τῷ τοιούτῳ τοῦτον κεχρῆσθαι τὸν τρόπον ἐμοὶ μὲν ἂν εὖ οἶδ' ὅτι συμφορὰ φανείη, κακία δὲ οὐδεμία, ὑμετέρα δὲ ἀγνωμοσύνη“* (= ep. II, 8), *τραχὺ μέν ἐστι τῇ ἐννοίᾳ, μεθοδευθὲν δὲ οὕτω καὶ συμπλακὲν τῷ πρὸ αὐτοῦ τε καὶ μετ' αὐτὸ λειότερόν πως γέγονε· καίτοι καὶ τὸ ἐπαγόμενον ἔχει τι τραχύτητος, ἔστι δὲ τὸ „ἣν τῷ μεταγνῶναι λύσατε“* (= ep. II, 8) *καὶ μὴν καὶ τὸ „ὦ (τί ἂν εἰπὼν μήθ' ἁμαρτεῖν δοκοίην μήτε ψευσαίμην;) λίαν ὀλίγωροι, οὔτε τοὺς ἄλλους οὔθ' ὑμᾶς αὐτοὺς αἰσχύνεσθε, ἐφ' οἷς Ἀριστογείτονα ἀφήκατε, ἐπὶ τούτοις Δημοσθένην ἐκβεβληκότες;“* (= ep. III, 37) *τοιοῦτόν ἐστιν, οἷον ἔχειν τινά τε διόρθωσιν καὶ μετρίαν λειότητα κατὰ τὴν διαπόρησιν. — Σχήματα δὲ τραχέα μάλιστα μὲν τὰ προστακτικά, οἷον „τῆς Ἀριστογείτονος κρίσεως ἀνα-*

1) II, p. 729.
2) Cf. Walz. rhet. graec. III, p. 233.

μνησθέντες ἐγκαλύψασθε" (= ep. III, 42). Deinde Hermogenes, ubi „περὶ βαρύτητος" dicit, haec exponit [1]): παραδείγματα τῶν ἐννοιῶν τούτων πολλὰ ἔν τε τῇ ὑπὲρ τῶν Λυκούργου παίδων ἐπιστολῇ καὶ ἐν τῇ περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου. ἐν μέντοι ταύτῃ καὶ τὸ προοίμιον εὐθὺς τοιοῦτόν ἐστιν ἅπαν, οἷον „ἐνόμιζον μὲν ἀφ' ὧν ἐπολιτευόμην, οὐχ ὅπως μηδὲν ὑμᾶς ἀδικῶν, τοιαῦτα πείσεσθαι" καὶ τὰ ἑξῆς. Etiam in commentariis, qui ad Hermogenis scripta facti sunt, saepius nostrae epistulae commemorantur. Ita in libro, cui inscribitur περὶ σχημάτων, ὧν Ἑρμογένης ἐμνημόνευσεν ἐν τοῖς περὶ εὑρέσεων καὶ ἰδεῶν βιβλίοις σύνοψις [2]), sub voce προστακτικόν hunc tertiae epistulae locum invenimus: τῆς Ἀριστογείτονος κρίσεως ἀναμνησθέντες ἐγκαλύψασθε. Eiusdem loci mentio fit apud Anonymum quendam in libro, qui est περὶ σχημάτων [3]). Maximus Planudes [4]) in scholiis ad Hermogenem epistulam, ex qua locus ille τῆς Ἀριστογείτονος κρίσεως cet. sumptus est, alio ac nos solemus nomine significat; dicit enim: ἡ ἐπιστολὴ περὶ ἀφέσεως ἐπιγέγραπται. Sequuntur haec: ἐν δὲ τῇ περὶ τῆς ἰδίας καθόδου ἐπιστολῇ γράφει τοῦτο τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ. Addo, quae Maximus de Demosthene narrat: ἀπέδρα τοῦ δεσμωτηρίου καὶ ἀπῆλθεν εἰς Τροιζῆνα, κἀκεῖθεν εἰς Ἄργος· ὅθεν τῷ δήμῳ τὰς ἐπιστολὰς ἐπιστέλλει ταύτας; quod quidem non plane cum nostris epistulis convenit, quoniam in secunda epistula Demosthenem Troezene et Calauria, non Argis fuisse traditur. Etiam in libello [5]), qui nuncupatur Ἰωάννου τοῦ Σικελιώτου ἐξήγησις εἰς τὰς ἰδέας τοῦ Ἑρμογένους, Demosthenis epistulae commemorantur; veluti in his: Εἰ δὲ τὸ περιφανὲς ἀξίωμα τῆς βουλῆς· τοῦτο ἐκ τῆς ἐπιστολῆς ἐστιν αὐτοῦ τῆς ὑπὲρ τοῦ Λυκούργου παίδων, ἣν γράφει καὶ ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ ὑπὲρ τούτων· paulloque infra haec exstant: ἔφυγε· γράφει οὖν ὑπέρ τε τῶν Λυκούργου παίδων καὶ ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου τὴν ἐπιστολὴν ταύτην. Confer etiam, quae sequuntur, ubi idem ille Joannes de aliis locis ex secunda tertiaque epistula depromptis loquitur. Similiter ab Anonymo quodam in libro, cui inscribitur σχόλια εἰς Ἑρμογένους ἰδεῶν [6]), complura de Demosthene explicantur; idem unam ex epistulis περὶ ἀφέσεως inscriptam esse dicit, addit autem haec: ἐπιγράφεται δὲ καὶ περὶ τῶν Λυκούργου παίδων.

---

1) Ibid. III, p. 349.
2) Ibid. III, p. 707.
3) Ibid. VIII, p. 631.
4) Ibid. V, p. 495.
5) Ibid. VI, p. 253 et 254 seq.
6) Ibid. VII, p. 993 seq.

Inter grammaticos Harpocratio [1]) tres voces de secunda tertiaque epistula, quas eodem modo quo nos *ἡ περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου ἐπιστολή* et *ἡ περὶ τῶν Λυκούργου παίδων ἐπιστολή* nominat, depromptas annotat; quarum vocum una est p. 85,5 *ἐρανίζοντες* (= ep. III, 38), altera p. 105,19 *Καλαύρεια* (= ep. II, 20), tertia p. 181,18 *φθόη* (= ep. III, 30); nulli autem adicit ilud „*εἰ γνήσιος*", quod semper adicere solet, si quem forte locum non genuinum esse existimet.

Pollux [2]) vocem quae est *αἰσχρορρημοσύνη* a Demosthene adhibitam esse tradit, quae vox non reperitur nisi ep. IV, 11. Apud eundem VIII, 69 haec verba scripta sunt: *Δημοσθένης δὲ ἀνέγκλητον καὶ ἀνεγκλήτως;* adverbium autem in pseudodemosthenica oratione septima decima ter, § 2, 22, 30, adiectivum semel ep. II, 14 invenitur.

Apud Moeridem [3]) Atticistam haec annotantur: *φθόην, τὴν φθίσιν, Ἀττικῶς,* neque vero additum est, ubi Moeris hanc vocem invenerit. Legitur enim ut in tertia epistula (§ 30) ita apud Platonem et Isocratem.

Veri simile est etiam ea quae in Hesychii lexico [4]) pag. 175,31 traduntur: *ἀξία· τιμή, καθῆκον, ἀξίωμα* ad ep. III, 12 et pag. 1521,3 *φθόη* ad ep. III, 30 referenda esse.

In Bekkeri anecdotis ab Antiatticista qui dicitur primae et tertiae epistulae, quarum prima verba ad ipsas significandas afferuntur, binae voces laudantur. Sunt autem hae, vol. I, p. 77,16 *ἀξία· ἀντὶ τοῦ ἀξίωμα· Δημοσθένης ἐν τῇ ἐπιστολῇ, ἧς ἀρχή· περὶ μὲν τῶν κατ᾽ ἐμαυτόν* (cf. ep. III, 12), p. 94,3 *ἐργολάβος· Δημοσθένης ἐπιστολῇ, ἧς ἡ ἀρχή· περὶ μὲν τῶν κατ᾽ ἐμαυτόν* (cf. ep. III, 34, ubi tamen non adiectivum illud, sed verbum *ἐργολαβεῖν* legitur), p. 110,3 *ὁμιλία· Θουκυδίδης ἕκτῳ· καὶ λόγους ὡμίλησα τρέπουσιν, ἀντὶ τοῦ συνεγενόμην. Δημοσθένης ἐπιστολῇ· καὶ κρῖναί τινα μὲν πράγματα ἐξ ὁμιλίας δύναται καὶ νῦν ἀντὶ τοῦ ἐκ τοῦ συνεῖναι. Πλάτων πολιτείας τετάρτῳ* (cf. ep. I, 12), p. 111,31 *πικραίνεσθαι· Δημοσθένης ἐπιστολῇ* (cf. ep. I, 6). Praeterea in Bekkeri anecdot. vol. I, p. 369,11 in libro, cui inscribitur *συναγωγὴ λέξεων χρησίμων ἐκ διαφόρων σοφῶν τε καὶ ῥητόρων πολλῶν,* hoc vocabulum profertur: *ἀκονῶν· Δημοσθένης ἐν ἐπιστολῇ· ἀκονῶν τὴν πόλιν.*

Stobaeus [5]) locis qui *περὶ πένθους* agunt hunc tertiae epistu-

1) Ex rec. Bekkeri, Berolini 1833.

2) In onomastic. ex rec. Bekkeri II, 129.

3) In lex. attic. ed. Pierson., Lugd. Bat. 1759, p. 399.

4) Rec. M. Schmidtius, Jenae 1867.

5) In floril. ed. Meinek. tom. IV, p. 124.

lae locum inserit: *Δημοσθένης ἐξ ἐπιστολῶν· ἀλλ' ἔχει τινὰ τοῖς ἀδικουμένοις ῥαστώνην τὸ λέγειν ἃ πάσχουσιν, ὥσπερ τοῖς ἀλγοῦσι τὸ στένειν* (= ep. III, 44).

Photius in biblioth. cod. 268 [1]) haec narrat: *ὕστερον μέντοι τούτους* (sc. Lycurgi liberos) *ἠθώωσαν, Δημοσθένους ἐπιστείλαντος ἀπὸ τῆς φυγῆς τοῖς Ἀθηναίοις, ὡς πολλὴν αὐτῶν κατεσκέδασαν διαβολήν, τηλικούτου παῖδας ἀνδρὸς δεσμωτήριον οἰκεῖν παραδεδωκότες, ἀνθ' ὧν ὁ πατὴρ ἐπολιτεύσατο, ὃν καὶ αὐτοὶ ζῶντα δι' αἰδοῦς τε ἦγον καὶ ἐθαύμαζον.* Atque idem tradit haec [2]): *ἐρανίσας· Δημοσθένης· ἀντὶ τοῦ ἔρανον αἰτήσας* (= ep. III, 38) et *φθόην· τὴν νῦν φθίσιν λεγομένην οὕτως ἐκάλουν, ὡς Δημοσθένης* (= ep. III, 30). Confer etiam Photii epistulam, quae exstat in Hercheri epistolographis graecis p. 16. Ibi de Demosthenis epistulis haec exponuntur: *Δημοσθένους δὲ οἱ μὲν ἄλλοι πόνοι καὶ ῥητόρων καὶ κριτικῶν ἐγκωμίοις πληροῦσι τὰ στόματα, τὰς ἐπιστολὰς δὲ οὐδὲν ἀμείνους εὑρήσεις τῶν Πλάτωνος.*

Similiter atque apud Photium etiam in Lycurgi vita, quam Suidas in lexico [3]) sub voce *Λυκοῦργος Λυκόφρονος Ἀθηναῖος* tradit, legimus a Demosthene exsule Lycurgi liberos defensos esse: *ὑπὲρ ὧν συκοφαντηθέντων Δημοσθένης ὁ ῥήτωρ ἀπὸ τῆς φυγῆς εἰπὼν ἐξεῖλεν αὐτούς.* Ibidemque tom. I, p. 504 de voce, quae est *ἐρανίσας*, idem legimus quod Photius explicat; tom. I, p. 507 sub voce *ἐργολάβος* traditur: *ἀλλ' ἐπὶ φλαύρων πραγμάτων χρῶνται τῷ ὀνόματι, ὡς Δημοσθένης ἐν τῇ πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον ἐπιστολῇ*, atque totum enuntiatum tertiae epistulae § 34, quod incipit ab his verbis *πολὺ γὰρ μᾶλλον εὐνοίας*, additur.

Postremo etiam in etymologico magno [4]) trium harum vocum, *ἐρανίσας* p. 369,36, *ἐργολάβος* p. 370,12, *φθόη* p. 793,13, et in etymologico Gudiano [5]) vocis *φθόη* mentio fit.

His veterum testimoniis allatis quaeritur, quid inde de epistularum auctoritate colligi possit. Cognosci autem ex iis puto epistulas nostras minime cum iis comparandas esse, quae non commemorantur nisi a recentissimis scriptoribus, ut suppositas eas esse facile intellegatur. Vidimus enim Demosthenis epistulas iam antiquitus collectas fuisse, quoniam Cicero quasdam legit. Hic fortasse suspicetur quispiam Ciceronis temporibus alias atque eas, quae nobis traditae sunt, epistulas Demosthenis exstitisse. Et

---

1) Ex rec. Bekkeri, p. 497b 29 seq.
2) *Λέξεων συναγωγή* ed. Porson., Cantabr. 1822, p. 11, 22 et 646, 16.
3) Rec. Bernhard., tom. II, part. I, p. 641.
4) Ed. Gaisford. Oxonii 1848.
5) Ed. Sturz. Lipsiae 1808, p. 552,6.

concedendum sane erit fieri potuisse, ut Cicero quidem alias epistulas ad nostros dies non servatas legerit, etiamsi veri simillimum esse infra videbimus quintam earum, quas nos habemus, in manibus ei fuisse. Sed plerisque quos commemoravimus scriptoribus complures earum epistularum, quae nunc exstant, notas fuisse videmus, cum non modo singulas voces, sed etiam totas sententias servaverint, quae etiam nunc in epistulis leguntur. Neque tamen omnes sex, quae traditae sunt, commemorantur, sed ex solis tribus prioribus loci quidam proferuntur et ex quarta epistula vox una. Quod quidem mirum mihi non videtur, quoniam tres illae epistulae multo et longiores et praestantiores sunt ceteris. Deinde autem, cum nonnulli epistularum loci a grammaticis vituperentur, tamen ne unum quidem auctorem quidquam dicere videmus, unde eum de epistulis iure Demostheni tribuendis dubitare colligatur. Itaque veteres de fide epistularum non dubitasse apparet.

Veri autem simile est has quoque epistulas non secus atque orationes Demosthenis diligentia Alexandrinorum collectas et orationibus annexas esse. Quare in codicibus manuscriptis excepto Parisino illo Σ littera signato ultimum locum obtinent, in nonnullis tamen maiore ex parte mutilatae sunt, id quod in fine librorum facile fieri potuit. Unus ille codex Parisinus epistulas inter orationes 35 et 27, inter *παραγραφικοὺς* et *ἐπιτροπικοὺς λόγους* insertas habet. Quod qui factum sit, W. Christus [1]) demonstrare conatur. Ex servatis enim versuum numeris et praescriptionibus et subscriptionibus conicit eo tempore, quo nondum maiores codices omnia opera Demosthenis continentes, sed singula papyri volumina exstiterint, Demosthenis scripta in sex partes divisa fuisse; cum vero singulae partes in unum tomum (*πανδέκτης*) coniungerentur, facile fieri potuisse, ut scribae quasdam partes falso loco, velut epistulas inter medias orationes collocarent (p. 213—215).

Ordo epistularum vulgo traditus qua ratione nitatur plane non intellegitur neque vero causas novimus, cur in codice Σ aliter atque in reliquis libris manuscriptis epistulae tradantur hoc ordine: I, IV, II, V, III, sexta autem epistula deest. Uterque ordo iusta ratione caret. Nam si eos respicimus, ad quos epistulae missae sunt, ita sunt secernendae, ut, cum reliquae quinque ad senatum populumque Atheniensem scriptae sint, quinta epistula singularem locum obtineat, utpote quae ad hominem privatum data sit. Rectius autem ordinem epistularum ex tempore, quo scriptae sunt, constituemus. Hac ratione probata primum locum quintae epistulae

---

1) Die Atticusausgabe des Demosthenes, ein Beitrag zur Textesgeschichte des Autors, Abhandl. der K. bayr. Academie der Wiss., philos.-philol. Classe, 16 Bd., III. Abtheil., p. 155—234.

concedemus, cum a Demosthene admodum iuvene composita esse fingatur. Hanc sequuntur quattuor primae epistulae, quae ut in exsilio scriptae artius inter se cohaerent. Extrema videtur esse sexta epistula scripta post pugnam apud Crannonem commissam Demosthene iam in patriam restituto. Sed priusquam in ordinem quattuor epistularum accuratius inquirere conemur, hic statim pauca de quinta illa epistula exponere liceat.

Ac nostris quidem temporibus vix quemquam esse credo, qui eam ad Heracleodorum quendam, hominem nobis ignotum, de salute Epitimi cuiusdam missam vere Demostheni attribuendam esse opinetur: ita manifesta res est. Facile enim est intellectu hanc epistulam ab oratoris illius summi ingenio longe distare. Scripta esse, ut iam diximus, epistula fingitur a Demosthene admodum iuvene. Dicitur enim § 5: *λόγισαι, ὅτι καὶ σύ ποτ᾽ ἦσθα νέος καὶ τὴν ἡλικίαν εἶχες, ἣν ἡμεῖς νῦν*, additurque: *ἐκ δὲ τοῦ συμβουλεύειν καὶ πράττειν γεγένησαι τηλικοῦτος. κἂν ἡμῖν τοῦτο συμβαίη.* Comperimus igitur ex his Demosthenem illo tempore nondum res publicas administrasse, nedum clarum fuisse. Atqui ad rem publicam eum accessisse constat[1]) olymp. 106,3 (anno 354 a. Chr. n.). Habemus igitur certum temporis terminum, ante quem epistula scripta esse fingitur. At considerantes omnem rationem, qua res quae poscitur tractatur, epistulam genuinam non esse statim cognoscemus. Dicit enim Demosthenes se id credere non posse, quod sibi a Menecrate nuntiatum sit, Epitimum ab Arato in carcerem coniectum esse et Heracleodorum ipsum quoque contra Epitimum agere. Sed ex quattuar his hominibus ne unus quidem nobis notus est, ne Heracleodorus quidem, qui paragrapho tertia magnam gloriam adeptus esse dicitur. Neque Epitimi salutem auctor imprimis curat; sed per Iovem et alios deos Heracleodorum obsecrat, ne quid faciat, quo sibi ipsi incommoda afferantur. Nam praeter Epitimi salutem maxime sua interesse, ne laudum se pudeat quibus ipse Heracleodorum affecerit. Ad Epitimum auctor non redit nisi ultimis epistulae verbis. Plura autem dicuntur de gloria et eruditione, quam Heracleodorus Platonis institutione usus sibi comparaverit, maximeque de laude philosophiae Platonicae, qua nulla sit praestantior. Post haec admonetur Heracleodorus, ne quid committat, quo auctor sententiam, quam de illo habeat, mutare cogatur neve ille auctorem, quia admodum iuvenis sit, contemnat. Denique precatur auctor iterum, ut Epitimus servetur.

---

1) Cf. Diodor. 16, 23; quocum compares or. Dem. de cor. hab. § 18: *τοῦ γὰρ Φωκικοῦ συστάντος πολέμου οὐ δι᾽ ἐμὲ—οὐ γὰρ ἔγωγ᾽ ἐπολιτευόμην πώποτε.*

Eiusmodi epistulam Demostheni attribui posse nego. Immo ne Blassius quidem iis refragatur, qui eam suppositam esse iudicaverunt. Etiam a dicendi genere Demosthenis epistulam alienam esse ex singulis quibusdam rebus facile intellegitur. Minime enim Demosthenica est obsecratio deorum, quae § 1 legitur: *δέομαι δή σου πρὸς Διὸς ξενίου καὶ πάντων τῶν θεῶν*, praesertim cum talis dicendi ardor cum simplicitate materiae non conveniat. Nec vero magis Demosthenica extrema verba sunt: *γράψας δέ μοι πέμψον ἢ καὶ ὡς φίλῳ ἐπίστελλε*, quae verba Reiskius commode ita interpretatur: Tu mihi significa (sc. tempus, de quo dictum est) per litteras aut etiam, si mavis familiarius ut cum homine amico agere, solummodo per nuntium mandata verba referentem. Ne G. H. Schaefer quidem exclamare nequit: „Graecitas haec est sophistica, non Demosthenica." Alia quaedam, quibus offendimur, infra tractare licebit, ubi de sermone epistularum dicetur. Ceterum Dobraeus sibi Isocrateum quendam colorem in hac epistula videri inesse annotat.

Veri autem simile esse Ciceronem quintam epistulam legisse iam commemoratum est. Cicero enim cum Demosthenem fuisse Platonis auditorem demonstret haec profert [1]: „Lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur; idque apparet ex genere et granditate verborum. Dicit etiam in quadam epistula hoc ipse de sese" et alio loco [2]: „cuius ex epistulis intellegi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor." Iam vero in quinta epistula non tam ipsum Demosthenem quam Heracleodorum Platonis auditorem fuisse traditur; quamquam fortasse ex universa ratione, qua in epistula Platonis philosophia laudatur, concludi potest Demosthenem quoque Platonem audivisse. Si tamen quis dicat Ciceronem non nostram epistulam, sed aliam, quae non servata sit, legisse, nemo eum refellere poterit. Contra quominus suspicetur quispiam nostram epistulam ab aliquo, qui hos Ciceronis locos legerit, suppositam esse, illud obstat, quod is certe non dubitasset expressis verbis declarare, quam frequenter Demosthenes Platonem audivisset. At Cicero etiamsi minus accurate ea exponat, quae in nostra epistula traduntur, tamen fieri potest ut eam ipsam legerit. Nam cum Demosthenem Platonis auditorem fuisse libenter arbitratus fuerit, iam recordatus se aliquid eiusmodi in quadam Demosthenis epistula legisse, hoc neglegenter quodammodo asseveravit. Quam facile talis error committi potuerit, ex eo apparet, quod Olympiodorus quoque (schol. ad Plat. Gorg. p. 515 d)

1) Brut. 31, 121.
2) Orator 4, 15.

ex eadem epistula collegit a Demosthene Platonem audiri solitum esse.[1])

Sed ut redeamus ad quattuor primas epistulas, quas omnes in exsilio a Domosthene scriptas et ad senatum populumque Atheniensem missas esse diximus, secunda quidem epistula tota, tertia extrema parte de Demosthenis reditu in patriam agit. In prima vero epistula haec leguntur: *περὶ μὲν τῆς ἐμῆς οἴκαδε ἀφίξεως ἀεὶ νομίζω πᾶσιν ὑμῖν ἔσεσθαι βουλεύσασθαι, διόπερ νῦν οὐδὲν περὶ αὐτῆς γέγραφα* (§ 2), quibus cum verbis haec decimae paragraphi conferenda sunt: *παρακαλῶ δ' εἰς ταῦτα οὐ τυχὼν αὐτὸς τῆς τοιαύτης φιλανθρωπίας παρ' ἐνίων, ἀλλὰ ἀδίκως καὶ στασιαστικῶς εἰς τὴν ἑτέρων χάριν προποθείς*, et in quarta epistula haec tradita sunt: *τούτῳ μὲν οὖν, ἐὰν ἀφίκωμαί ποτε καὶ σωθῶ, πειράσομαι διαλεχθῆναι* (§ 2).

Ut vero has epistulas in certum ordinem redigamus, primus quidem locus, si tempus respicimus, secundae epistulae dandus erit. Legimus autem epistulam eo tempore scriptam esse, quo iudices non iam, ut antea, cum de ipso Demosthene diiudicaretur, simpliciter ea probarent, quae Areopagus quamvis argumentis nullis adiectis proferret; additum est reliquos, qui simul cum ipso eiusdem criminis accusati essent, omnes liberatos esse (ep. II, 1 seq.) His tamen verbis tempus, quo epistula scripta est, accuratius non definitur. Secundam autem epistulam proxime sequi tertiam ex his tertiae epistulae primis verbis dilucide apparet: *περὶ μὲν τῶν κατ' ἐμαυτὸν, ἃ μοι παρ' ὑμῶν ἐνόμιζον δίκαιον εἶναι γενέσθαι, τὴν προτέραν ἔπεμψα πρὸς ὑμᾶς.* Iam vero his quaeritur utrum quarta an prima proxima adicienda sit. Primam quidem epistulam post mortem Alexandri regis compositam esse dicitur (*νῦν τοίνυν τεθνεῶτος ἐκείνου*, § 3). In quarta nihil inest, unde cognosci possit, quo tempore scripta sit. Ceterum in tertia epistula haec traduntur (§ 37): *ἡδέως δ' ἂν ὑμῖν τὴν ἐπ' εὐνοίᾳ καὶ φιλίᾳ μέμψιν ποιησαίμην νῦν μὲν ἐν κεφαλαίῳ, μικρῷ δ' ὕστερον δι' ἐπιστολῆς μακρᾶς, ἣν ἐάνπερ ἐγὼ ζῶ προσδοκᾶτε, ἂν μὴ τὰ δίκαια γίγνηταί μοι παρ' ὑμῶν πρότερον.* Qua de magna epistula nobis nihil notum est.

Priusquam vero ad singulas epistulas considerandas transeamus paucis de ea re disserere liceat, ad quem epistulae nostrae missae sint. Praescripta autem iis haec sunt: *Δημοσθένης τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν.* Quibus in verbis desideratur nomen civitatis, ad quam epistulae datae sint. Exspectatur enim vox *Ἀθηναίων* post *τῷ δήμῳ* posita. Hoc tamen vitium, si quidem

---

1) Cf. A. Schäfer. in l. D. u. s. Z. I, 281, Anm. 2.

vitium appellandum est, nolo tribuere auctori, cum veri simile sit a scribis eam praescriptionem additam vel etiam in medium verborum contextum insertam esse. Nam in codice Σ, Bavarico aliis libris post primum exordium primae epistulae ante verba: *περὶ μὲν τῆς ἐμῆς οἴκαδε ἀφίξεως* praescriptio illa exstat. Gravior autem quaestio est, licueritne Demostheni, cum *ἄτιμος* esset, ad senatum populumque Atheniensem epistulas mittere. Vix enim credibile est Athenienses passos esse exsulem ad senatum populumque scribere, quid de Lycurgi liberis male ab Atheniensibus tractatis sentiret, eundemque simul in cives quam vehementissime invehi. Neque aliter res se habet in prima epistula, qua auctor quamvis exsul sit de rebus publicis gerendis suam sententiam ferre audet. In quarta vero epistula de conviciis Theramenis in Demosthenem factis agitur, quam rem senatus populusque certe minime curabat. Itaque cum publice ad S. P. Q. A. hae epistulae missae esse vix possint, nihil aliud restat, quam ut eas ad hunc finem scriptas esse arbitremur, ut similiter fortasse atque Isocratis orationes inter omnes Athenienses quam latissime divulgarentur et ab omnibus legerentur.

Propius autem ad rem aggredienti liceat mihi ea comprehendere, quae de secunda et tertia epistula explicanda habeo. Artissime enim eae inter se cohaerent cum quod ad res tum quod ad sermonem attinet. Neque vero fuit quisquam neque erit, qui eas ab eodem auctore compositas esse neget. Sed ut certum aliquid de utriusque fide et auctoritate iudicari possit, ita rem instituam, ut primo loco de rebus in utraque epistula commemoratis agatur. Ordiamur autem ab iis, quae ad causam Harpalicam pertinent. Demosthenem innocentem neque ullo modo ab Harpalo corruptum esse in utraque epistula iterum iterumque confirmatur. Ita in secundae epistulae primis verbis haec leguntur: *ἐνόμιζον μὲν ἀφ᾽ ὧν ἐπολιτευόμην, οὐχ ὅπως μηδὲν ὑμᾶς ἀδικῶν τοιαῦτα πείσεσθαι.* Ita § 2 Demosthenes precatur *μὴ μόνος δι᾽ αἰτίαν ψευδῆ τῆς πατρίδος—ἀποστερηθῆναι.* Ita § 3 traditur: *εἰκότως δ᾽ ἂν ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μέλοι τῆς ἐμῆς σωτηρίας οὐ μόνον κατὰ τοῦτο ὅτι οὐδὲν ὑμᾶς ἀδικῶν δεινὰ πέπονθα;* ita § 14: *οὔτε γὰρ ἔγωγε τῶν Ἁρπάλου φίλων φανήσομαι γεγονὼς τῶν τε γραφέντων περὶ Ἁρπάλου μόνα τὰ ἐμοὶ πεπραγμένα ἀνέγκλητον πεποίηκε τὴν πόλιν;* ita § 16: *οὔτε γὰρ ἠδίκηχ᾽ ὑμᾶς οὐδέν, ὡς ἴστωσαν οἱ θεοὶ καὶ ἥρωες;* ita § 24: *ἐπ᾽ οὐδενὶ γὰρ τῶν πεπραγμένων ἠδικηκότα με εὑρήσετε οὐδ᾽ ἐπιτήδειον ἄτιμον εἶναι οὐδ᾽ ἀπολωλέναι.* Ita denique tertiae epistulae § 42 exstant haec: *οὐ μὴν οὐδὲ παρ᾽ Ἁρπάλου με λαβόντα δείξετε· οὔτε γὰρ ἠλέγχθην οὔτ᾽ ἔλαβον.* Nonne haec est „simplex criminis sine ulla argumentatione recusatio", quam Westermannus in epistulis invenit?

Hyperides autem et Dinarchus in orationibus contra Demosthenem scriptis Demosthenem Harpali auro corruptum esse explicant. Dinarchus quidem non tam argumenta exponit, quibus Demosthenem corruptum esse appareat, quam convicia quaevis undique collecta ei facit. Hyperides [1]) autem Demosthenem pecuniam ab Harpalo accepisse eo manifestum esse dicit, quod Areopagus eius nomen indicaverit. In nostris autem epistulis Demosthenes acerbis verbis queritur, quod nomen suum ab Areopago culpae argumentis non adiectis delatum sit. In secundae enim epistulae initio haec legimus: *οὐδεμιᾶς ἀποδείξεως οὐδ' ἐλέγχου γιγνομένου παρὰ τῆς βουλῆς*. Sed ne quis in eo offendat, quod sola vox *βουλή*, non *ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου* posita est, haec exponam. Quamquam ubi simpliciter *ἡ βουλή* dicitur, apud scriptores atticos quingentorum senatus intellegendus est, tamen apud Dinarchum et quoad cognosci potest apud Hyperidem voce *βουλή* Areopagus potius significatur, quoniam nemini dubium erit, de quo collegio sermo sit. Ita Dinarchus in oratione contra Demosthenem composita primo quidem plenam formulam quae est *ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλή* adhibere solet, deinde vero, cum saepissime Areopagus commemoretur, modo sola voce *βουλή* utitur modo aliter sermonem variat dicens *οἱ Ἀρεοπαγῖται* (§ 5) aut *ἡ τῶν ἐκ προνοίας φόνων ἀξιόπιστος οὖσα βουλή* (§ 6) aut *τὸ συνέδριον* (§ 9) aut ipsis pronominibus utitur. Manifestum vero est etiam hoc nostro loco Areopagum intellegendum esse, cum statim verba sequantur: *πρὸς τὰ ταύτης ἀπόρρητα καταψηφιζομένους*. Scimus enim Areopagum nomina eorum, qui ab Harpalo corrupti essent, detulisse atque etiam indicasse, quantum quisque pecuniae accepisset, neque vero causas addidisse. Haec sunt illa *ἀπόρρητα*. Neque vero semel, sed quotienscumque in secunda epistula Areopagus commemoratur, sola vox *βουλή* adhibita est. Nam verba, quae ep. II, 1 leguntur: *τὸ γὰρ οἷς ἂν ἡ βουλὴ φήσῃ τοὺς ὀμωμοκότας δικαστὰς προστίθεσθαι μηδεμιᾶς ἀποδείξεως ῥηθείσης*, non minus ad solum Areopagum referenda esse apparet, quam quae sequuntur: *ἐπειδὴ δὲ καλῶς ποιοῦντες ᾔσθησθε τὴν δυναστείαν, ἥν τινες τῶν ἐν τῇ βουλῇ κατεσκευάζοντο ἑαυτοῖς, καὶ πρὸς τὰς ἀποδείξεις τοὺς ἀγῶνας κρίνετε, τὰ δ' ἀπόρρητα τούτων ἐπιτιμήσεως ἄξια εὑρήκατε*. Ita etiam ep. II, 15 queritur Demosthenes, quod iniuste nomen suum ab Areopago delatum sit: *ἢ τίνα ἔλεγχον εἶπεν ἡ βουλὴ κατ' ἐμοῦ; ἢ τίνα νῦν ἂν εἰπεῖν ἔχοι;* Mirum igitur est, quod in tertia epistula § 42 haec verba tradita sunt: *εἰ δὲ τὸ περιφανὲς*

1) *Κατὰ Δημ.* ed. Blass.², fr. III, col. VII: *ἐγὼ δ' ὅτ[ι μὲν] ἔλαβες τὸ χρυσίον ἱκανὸν οἶμαι εἶ[ναι] σημεῖον τοῖς δικασταῖς τὸ τὴν βουλήν σου καταγνῶναι.*

ἀξίωμα τῆς βουλῆς ἢ τὸν Ἄρειον πάγον προσβλέπετε. Reiskius quidem ad hunc locum annotat: „Haec verba (ἢ τὸν Ἄρειον πάγον) videntur scholium ideoque delenda esse." At G. H. Schaefer dicit: „Inanis supicio. In damnando Demosthene non solius senatus, sed etiam Areopagi partes fuerunt." Ego Reiskium puto rectum vidisse. Nihil enim est, cur Demosthenes in senatum quingentorum tanta ironia invehatur. Areopagus est, quem Demosthenes quam maxime odit, cum iniuste se ab eo indicatum esse existimet. Cum hac sententia bene congruit, quod paullo infra legimus: οὐ γὰρ δήπου τοῖς αὐτοῖς γε λόγοις ὑπὸ τῆς αὐτῆς βουλῆς ἀποφανθέντα ἐκεῖνον μὲν cet., ubi apparet ab Areopagitis delationem factam esse. Propterea verba ἢ τὸν Ἄρειον πάγον cum Reiskio delenda esse censeo.

Tali modo Demosthenes de Areopago queritur. Quod collegium ab eo etiam cum se coram iudicibus defenderet, acriter impugnatum esse veri simile est. Dinarchus quidem, si modo est auctor orationis ei addictae, veritus ne hoc a Demosthene fiat has querellas occupare studet; legimus enim I, 62: καὶ παρέδωκας σὺ καὶ ἐνεχείρισας τὴν πόλιν ἅπασαν ταύτῃ (scil. τῇ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῇ), ἣν αὐτίκα φήσεις ὀλιγαρχικὴν εἶναι. Hoc re vera factum esse credibile est. Nam in epistulis quoque tale aliquid nobis occurrit. Tantam enim Areopagi auctoritatem fuisse demonstratur (ep. II, 1), ut ne iudices quidem ausi sint contra eius sententiam quamvis nullis argumentis probatam quidquam decernere.

Condemnatum esse Demosthenem, ut ex Plutarchi vit. Dem. cap. 26 seq., ex Diodori libr. 17,108 et 18,3 aliorumque scriptis, ita iam ex Dinarchi oratione contra Aristogitonem habita scimus; ubi haec reperiuntur § 15: καὶ Δημάδῃ μὲν καὶ Δημοσθένει οὐδεμίαν ᾤεσθε δεῖν συγγνώμην ἔχειν, ὅτι δῶρα καθ' ὑμῶν ἐξηλέγχθησαν λαμβάνοντες, ἀλλ' ἐτιμωρήσασθε. Quantae autem pecuniae Demosthenes damnatus sit [1]), in epistulis non dicitur neque hic locus est in hanc rem accuratius inquirendi. Illud vero in epistulis traditur Demostheni certum quoddam tempus constitutum esse, ante quod multa ei solvenda esset (καὶ μόνον αἰτοῦντος ἄδειαν, ὅσονπερ χρόνον τὴν ἔκτισιν δεδώκατε, ep. III, 39). Ex iis autem, quae in epistulis leguntur, etiam concludi potest eius multae προστίμημα [2]) additum esse, ut, nisi statim pecuniam solveret, in carcerem coniceretur. Non enim nisi hoc addito intellegi poterit, qui factum sit, ut Demosthenes in carcere esset. Nam aliter

1) Cf. Boeckh. in l. Staatshaushaltung der Ath. I², p. 505, A. Schaeferum in l. D. u. s. Z. III, 1, 312, Meieri et Schoemanni op. Der Attische Process, edit. a Lipsio, I, p. 332 not. 376.

2) Cf. Boeckh. l. l. I², 512, Schaeferum l. l., Lipsium l. l. I, p. 219 seq.

patriam certe deseruisset, priusquam tempus quod ei ad solvendam multam datum erat, praeteriisset. Cartaultus quidem in libello, quem de causa Harpalica scripsit[1]), p. 138 seq. dubitat, num Demosthenes in carcere fuerit. Putat enim illum potuisse quidem multam solvere, sed noluisse, ne se peccasse concederet. Declarat igitur Cartaultus se nostris epistulis ne minimam quidem auctoritatem tribuere nec maiorem aliis auctoribus, ut biographis, qui et ipsi tradunt Demosthenem in carcere fuisse. Plutarchus expressis verbis dicit: *καὶ παραδοθεὶς εἰς τὸ δεσμωτήριον* (vit. Dem. 26). Similiter Maximus Planudes haec narrat: *ὁ ῥήτωρ ἐνεβλήθη εἰς τὸ δεσμωτήριον· τῶν δὲ οἰκείων αὐτῷ γυναικῶν ὡς αὐτὸν ἀφικομένων ἐνδὺς γυναικείαν στολὴν καὶ συνεξελθὼν αὐταῖς ἀπέδρα τοῦ δεσμωτηρίου καὶ ἀπῆλθεν εἰς Τροιζῆνα.* Praeterea Anonymi[2]) vit. Dem. accurate explicatur, quam diu Demosthenes in carcere remanserit: *καὶ κατακριθεὶς ἐδέθη μὲν ἡμέρας ι′*, quem numerum in *ε′* mutari Westermannus[3]) vult. Quanta autem fides epistulis nostris tribuenda sit mox videbimus. Hoc vero loco statuamus epistulis nos certiores fieri Demosthenem e carcere effugisse. Inter alias enim hae causae afferuntur, cur effugerit: *πρῶτον μὲν τοὔνειδος τῆς εἱρκτῆς χαλεπῶς τῷ λογισμῷ φέρων, εἶτα διὰ τὴν ἡλικίαν οὐκ ἂν οἷός τ᾽ ὢν τῷ σώματι τὴν κακοπάθειαν ὑπενεγκεῖν* (ep. II, 17). Idem etiam ex ep. III, 39 elucet, quem locum modo laudavimus. Ut enim ex verbis quae sequuntur apparet, Demosthenes ideo impunitatem petit, ut multam debitam colligat rationem viamque accuratius indicans, qua hoc se consecuturum esse speret. Quid autem ei obstitit, quominus hoc faceret, nisi metuendum ei erat, ne in patriam reversus iterum in carcerem coniceretur?

Deinde in secunda epistula legimus Demosthenem primum fuisse, de quo diiudicatum sit; dicit enim casu quodam se condemnatum esse: *τῷ πρῶτος εἰσιέναι* (ep. II, 14). Dinarchus I, 105 idem tradit: *Δημοσθένης εἰσάγεται πρῶτος* et iudices incitat, ut *τὸν πρῶτον εἰσεληλυθότα* (§ 106) quam severissime condemnent. Sane concedendum est in eum, qui primus inter complures in iudicium vocatur, facile totam iudicum iram quae paullatim diminuitur cadere potuisse. Idem etiam Lysias or. 19,5 seq. ita exponit: *ἀκούω γὰρ ἔγωγε καὶ ὑμῶν δὲ τοὺς πολλοὺς οἶμαι εἰδέναι, ὅτι πάντων δεινότατόν ἐστι διαβολή. μάλιστα δὲ τοῦτο ἔχοι ἄν τις ἰδεῖν, ὅταν πολλοὶ ἐπὶ τῇ αὐτῇ αἰτίᾳ εἰς ἀγῶνα καταστῶσιν. ὡς*

1) Paris. Lut. opud Thorin. 1881.

2) In orat. gr. ed. Reisk. IV, p. 158.

3) In Plutarchi vit. decem orat., Quedlinburg. et Lipsiae 1833, p. 76, annot. 38.

γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ οἱ τελευταῖοι κρινόμενοι σῴζονται· πεπαυμένοι γὰρ τῆς ὀργῆς αὐτῶν ἀκροᾶσθε καὶ τοὺς ἐλέγχους ἤδη θέλοντες ἀποδέχεσθε. Nihilominus hanc certe non fuisse veram causam dicendum est, ob quam Demosthenes condemnatus sit. Immo ut rem quam brevissime absolvam, Demosthenem propter universam viam rationemque, qua eo tempore publicas res gerendas esse existimabat, condemnatum esse censeo. Magna enim cum sapientia ut mihi persuasum est cum rege Macedonum pacem servare utilissimum habuit. Qua re neutri parti satisfacere potuit, neque iis, qui semper Macedonibus favebant, neque iis, qui ut Hyperides omni modo iugum servitutis ab illis urbi impositum depellere conabantur. Utrique autem effecerunt, ut Demosthenes etiam a populo desereretur atque condemnaretur. De hac tamen vera ut puto causa in epistulis sermo non est nisi hoc fortasse loco: τὸ γὰρ τῷ τοιούτῳ τοῦτον τὸν τρόπον κεχρῆσθαι ἐμοὶ μὲν ἂν εὖ οἶδ' ὅτι φανείη συμφορά, κακία δὲ οὐδεμία, ὑμετέρα δὲ ἀγνωμοσύνη (ep. II, 8).

Etiam complura nova in utraque epistula insunt, quae alibi nobis non tradita sunt. Novum est, quod in extrema parte tertiae epistulae legimus Aristogitonem omni culpa liberatum esse. Ibi enim fusius explicatur, quam iniustum sit ob easdem res Demosthenem condemnari, propter quas Aristogito liberatus sit (ep. III, 37 et 42). Deinde in epistulis traditur Demosthenem unum restitisse, qui in poena esset, cum, quicumque simul cum eo essent accusati, aut liberati essent aut solvissent quod debuissent. Precatur enim Demosthenes τῆς ὁμοίας τυχεῖν σωτηρίας τοῖς τῶν ὁμοίων αἰτιῶν τετυχηκόσι καὶ μὴ μόνος δι' αἰτίαν ψευδῆ τῆς πατρίδος — ἀποστερηθῆναι (ep. II, 2). Idem legitur ep. II, 16: ἐπειδὴ δὲ καλῶς ποιοῦντες πᾶσι τοῖς ἐν ταῖς αἰτίαις διήλλαχθε, κἀμοὶ διαλλάγητε. Cum his non plane congruere videtur, quod ep. II, 21 dicitur: ψηφίσασθέ μοι ταῦτα, ἃ καὶ ἄλλοις τισὶν ἤδη. Malit fortasse quispiam legi τοῖς ἄλλοις, neque tamen eo opus est, dummodo hunc locum recte interpretemur. Neque enim omnes rei a iudicibus liberati sunt, sed Dinarchi loco, quem paullo supra laudavimus, praeter Demosthenem etiam Demadem condemnatum esse docemur (Din. II, 15). Suspicari autem licebit, cum Demosthenem solum poena teneri in epistulis tradatur, Demadi aliquo modo veniam datam esse. Cum igitur antea Demosthenes in universum precatus sit, ut sibi quoque ut ceteris omnibus ignoscatur, hoc loco petere videtur, ut idem sibi concedatur, quod fortasse alii quidam (ἄλλοι τινές), ut Demades, adepti sint, qui quamquam primum quidem ipsi quoque condemnati erant, postea tamen veniam impetraverunt. Novum porro hoc est, quod accipimus Demosthenem fidem publicam postulasse neque vero consecutum esse (καὶ

μόνον αἰτοῦντος ἄδειαν —, ταῦτα μὲν οὐ συγχωρεῖτε, ep. III, 39). Nova etiam sunt, quae Demosthenes de ratione dicit, qua multam debitam se collecturum esse speret. Non mediocris rerum scientia hac in parte declaratur, ut Blassius dilucide exposuit (Die att. Beredts. III, 1, 389). Demosthenes enim sperare se demonstrat fore, ut, si tuto Athenas redire sibi liceat, ab iis, pro quibus, ne bis solvere debeant quae ne semel quidem possint solvere, vadem se dederit, sibi si non tota pecunia, tamen aliqua pars eius reddatur (ep. III, 40). Quod vero hoc loco Demosthenes dicit se multa alia bona habere, hoc fortasse quasi responsum esse videtur ad id, quod in Dinarchi quae dicitur oratione obicitur eum, quamvis magnas pecunias ab urbis inimicis accepisset, tamen nullos fundos Athenis sibi paravisse (Din. I, 70: μηδὲν δὲ φανερὸν ἐν τῇ πόλει κεκτῆσθαι). Quid autem hac de re sentiamus, quod Demosthenem Troezenem et in Calauriam insulam se contulisse in secunda epistula narratur, infra patefaciemus.

His igitur in rebus ad causam Harpalicam pertinentibus nullum fere errorem ab epistularum auctore commissum esse apparet. Multa enim aequalium scriptis, ut Hyperidis oratione, confirmata habemus, alia cum iis congruunt, quae ex vitis Demosthenis scimus, alia denique nova neque tamen veri dissimilia sunt. Quare si ea quae adhuc prolata sunt consideramus, nihil obstat, quominus utramque epistulam ab ipso Demosthene scriptam esse arbitremur. Certe concedendum est auctoris scientiam rerum illis temporibus gestarum non mediocrem fuisse.

Idem probatum iri censeo, cum etiam de iis disseruimus, quae praeter res ad causam Harpalicam pertinentes de illis temporibus afferuntur. Ordiamur autem ab iis, quae in tertia epistula imprimis de Lycurgi liberis tradita sunt. Etiam Hyperides pro his Lycurgi liberis orationem habuit. Valde autem dolemus, quod ex ea una tantum sententia servata est. Ea vero, quibus in epistulae tertiae initio Lycurgi mores eiusque liberorum res describuntur, in universum cum iis conveniunt, quae praecipue ex decreto in honorem Lycurgi facto et ex Diodori historia et Lycurgi vitis nota sunt. Ut singula quaedam conferamus, ep. III, 4 de Lycurgo haec leguntur: ἐφ' οἷς εὐθὺς ἐξητεῖτο, ὡς πάντες ἴσασιν, quae optime cum decreti[1]) illius his verbis congruunt: Ἀλεξάνδρου τε τοῦ βασιλέως — ἐξαιτήσαντος Λυκοῦργον ὡς ἐναντία πράττοντα αὐτῷ. Idem in vit. X orat. p. 841 E (vit. Lyc.) traditur: ὅθεν ἐξαιτηθέντα αὐτὸν ὑπ' Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως ὁ δῆμος οὐ προήκατο. Addo quae apud

1) Cf. Plut. p. 852 C, ubi hoc decretum vitis X orat. annexum est.

Photium[1]) exstant: *τοσοῦτον δὲ πόθον αὐτοῦ καὶ αἰδῶ τοῖς Ἀθηναίοις ἐνεποίησε πολιτευόμενος* (sc. Lycurgus), *ὡς αἰτήσαντος αὐτὸν Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως, ὥσπερ καὶ τοὺς ἄλλους ὁ δῆμος οὐ προήκατο.* Suidam vero, qui in lexico suo sub voce *Ἀντίπατρος* Lycurgum ab Antipatro postulatum esse narrat (*νικήσας δὲ ᾔτει τοὺς δέκα ῥήτορας, οὓς ἐξέδοσαν Ἀθηναῖοι, Δημοσθένην Ὑπερείδην Λυκοῦργον* —), errasse constat, quoniam Lycurgus hoc tempore non iam in vivis erat. Cf. Meieri commentationem de vita Lycurgi quae Plutarcho ascribitur p. 33 seq.[2]). Supra iam pag. 7 demonstravimus ea verba, quae in vit. X orat. p. 841 E (vit. Lyc.) leguntur: *ἐν τοῖς δικαστηρίοις τὸ φῆσαι Λυκοῦργον ἐδόκει βοήθημα εἶναι τῷ συναγορευομένῳ*, fluxisse videri ex his epistulae tertiae § 6 verbis: *πολλὰ τῶν δικαίων ἐν τῷ φῆσαι Λυκοῦργον ἐκρίνετε.* Parvam tamen differentiam inter utrumque locum exstare Meier l. l. p. 35 vidit. Quae enim in epistulis in universum dicta sunt, ea apud Pseudo-Plutarchum ad iudicium solum (*ἐν τοῖς δικαστηρίοις*) referuntur. Eadem Photius l. l. tradit: *διὸ καὶ τὸ λόγον τινὰ προενεγκεῖν ἐν τοῖς δικαστηρίοις ὑπὲρ ὁτουοῦν μεγάλη τῷ συναγορευθέντι βοήθεια ἐγίγνετο.* Res vero ipsa, ut Westermannus in editione vit. X orat. p. 61 n. 8 annotat, hoc fragmento orationis alicuius Demosthenicae apud Rutilium Lupum de fig. II, 4 servato confirmatur: „Atque ego illum, iudices, arbitror Lycurgum laudatorem producturum, scilicet qui sit testis eius pudori ac probitati. Sed ego Lycurgum vobis praesentibus hoc unum interrogabo, velitne se similem esse illius factis et moribus. Quod si negarit, satis factum vobis esse de veritate nostra debebit."

Nec vero minus inter se ea congruunt, quae de Lycurgi liberis et in epistula et in Lycurgi vitis narrantur. Auctor autem vitarum decem oratorum, cui nostras epistulas notas fuisse modo commemoravimus, sane etiam ex aliis fontibus hausit. Ita dicit Demosthenis epistula effectum esse, ut Lycurgi liberi re vera liberarentur. Idem ut hoc addam, in Aeschinis quae fertur ep. XIII, 14 traditur: *καὶ περὶ μὲν τῶν Λυκούργου παίδων Δημοσθένης ὑμῖν ἐπιστέλλει — καὶ ὑμεῖς οὐδὲν ἄλλ' ἢ Ἀθηναίων ἔργον, ἐλεήσαντες αὐτοὺς καὶ χαρισάμενοι, ἐποιήσατε.* Confer etiam Photii bibl. l. l.: *ὕστερον μέντοι τούτους* (sc. Lycurgi liberos) *ἠθώωσαν, Δημοσθένους ἐπιστείλαντος ἀπὸ τῆς φυγῆς τοῖς Ἀθηναίοις, ὡς* cet. Fuerunt autem qui differre inter se Lycurgi vitam apud Pseudo-Plutarchum servatam et verba epistulae statuerent. In illa enim haec verba insunt (p. 842 D): *ἀποθανόντος δ' αὐτοῦ παρέδωκαν τοὺς*

---

1) In bibl. cod. 268 ex rec. Bekkeri p. 497.

2, In Kiesslingii edit. fragm. Lycurgi.

παῖδας τοῖς ἕνδεκα Μενεσαίχμου μὲν κατηγορήσαντος, γραψαμένου δὲ Θρασυκλέους. Idemque apud Photium l. l. traditur: κατέλιπε δὲ καὶ παῖδας ἐκ Καλλιστοῦς Ἄβρωνα, Λυκοῦργον, Λυκόφρονα· οὓς καὶ τελευτήσαντος Λυκούργου οἱ ἀγνώμονες Ἀθηναῖοι τοῖς ἕνδεκα παρέδωκαν Μενεσαίχμου μὲν κατηγορήσαντος, γραψαμένου δὲ Θρασυκλέους. Ruhnkenius quidem hist. crit. orat. graec. p. 79 seq. (in ed Rut. Lup.) priore loco pro Θρασυκλέους scribi vult Μοιροκλέους, cum in epistula a Moerocle liberos vinctos esse legatur (ep. III, 16: εἰ δὲ Μοιροκλῆς ἀποκρίνεται — αὐτὸς αὐτοὺς δῆσαι). Sed G. H. Schaefer Ruhnkenio non assentitur haec annotans ad ep. III, p. 1478, 16: „Thrasycles fuit ὁ γραψάμενος: Moerocles, ut ἄρχων, ὁ δήσας.“ Quocum etiam Meier l. l. p. 55 consentit. Uterque igitur locus est sanus neque ulla difficultas relinquintur. Ceterum in Hyperidis quoque vita (in vit. X orat. p. 848 F) Lycurgo iam mortuo Demosthenem accusatum esse traditur: ἀλλ' ἐπεὶ Λυσικλῆς μὲν καὶ Λυκοῦργος ἐτεθνήκεσαν, Δημοσθένης δὲ ὡς παρὰ Ἁρπάλου δωροδοκήσας ἐκρίνετο [1]). In epistula autem uberius narratur, quomodo Lycurgi liberi tractati sint. Audimus enim eos non modo in carcerem coniectos, sed etiam catenis oneratos esse; quod saepius commemoratur (ep. III, 7, 13, 16). Cuius vero criminis liberi accusati sint, nusquam accurate dicitur. Secundum epistulae verba Lycurgi liberi propterea, quod aliqui patrem accusaverant, vincti sunt (ep. III, 13: περὶ ὧν τὸν πατέρα αἰτιῶνταί τινες τοὺς υἱεῖς δεδέκατε). Propter patris facinora liberos Lycurgi damnatos esse etiam in Aeschinis quae fertur XII epistula § 14 traditur: καὶ δεῖται (sc. Demosthenes) καλῶς ποιῶν χαρίσασθαι τὸ πατρῷον αὐτοῖς ὄφλημα. Cf. Meieri comm. p. 55 seq. Itaque etiam ea considerantes, quae de Lycurgo eiusque liberis in tertia epistula tradita sunt, certe statuemus epistulae auctorem harum rerum bene gnarum fuisse.

Praeterea in tertia epistula complures homines commemorantur (§ 16, 19, 24, 29, 31), quorum alios ex Demosthenis aut aliorum auctorum scriptis novimus, alii omnino ignoti sunt. De quibus haec fere explicare opus esse arbitror. Ep. III, 19 demonstratur Athenienses libenter beneficia a patribus urbi tributa ad eorum liberos transferre solere, id quod in Aristidis et Thrasybuli et Archini liberis factum sit. Tamen legimus Dem. or. 24 (hab. olymp. 106,4, anno 353/2 a. Chr. n.) § 135 Myronidem (ὁ Ἀρχίνου υἱὸς τοῦ καταλαβόντος Φυλὴν καὶ μετά γε τοὺς θεοὺς αἰτιωτάτου ὄντος τῆς καθόδου τῷ δήμῳ καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ καλὰ

---

1) Cf. Clintoni fast. Hell. Oxon. 1841 vol. II p. 179 in tabulis anni 323 a. Chr. n.

πεπολιτευμένου καὶ ἐστρατηγηκότος πολλάκις) in carcere fuisse et Dem. or. 19 (hab. olymp. 109, 2, anno a. Chr. n. 343/2) § 280 haec traduntur: *τί οὖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τούτων οὕτως ἐχόντων — ὑπομενεῖτε — Θρασύβουλον ἐκεῖνον τὸν Θρασυβούλου τοῦ δημοτικοῦ τοῦ ἀπὸ Φυλῆς καταγαγόντος τὸν δῆμον, τάλαντα δέκα ὠφληκέναι;* His igitur locis vere Demosthenicis plane contrarium dicitur eius, quod in nostra epistula legitur; qua de re A. Schaefer in annal. philolog. 115 (1877) p. 164 recte haec iudicat: „Es war daher des Lykurgos Söhnen übel gedient, wenn man dergleichen in Erinnerung brachte." Blassius vero cum in iisdem annal. p. 543 longiore temporis spatio, quod inde ab iis annis, quibus orationes illae sint habitae, praeterierit, illam differentiam tollere studeat hisce verbis usus: „Was konnte in der langen Zwischenzeit alles geschehen sein, um die frühere Härte völlig vergessen zu machen!", rem non bene cessisse putaverim; nam auctor epistulae, qui, ut infra videbimus, exempla inter se contraria proferre solet, certe commemoravisset eos viros primum quidem male, deinde vero bene tractatos esse. Relinquitur suspicio auctorem epistulae errore quodam ea, quae in illis Demosthenis orationibus legerat, in contrarium convertisse.

Deinde inter eos, qui diutius pro civibus agere morte prohibiti sint, Nausicles, Chares, Diotimus, Menestheus, Eudoxus, Eudicus, Ephialtes, Lycurgus enumerantur (ep. III, 31). Menestheum ante hoc tempus, quo epistula scripta est aut scripta esse fingitur, mortuum esse Boeckhius[1]) confirmat dicens: „In dem dritten untergeschobenen Briefe des Demosthenes (p. 1482) wird sein Tod angeführt, wonach ihn also Demosthenes überlebte. Zur Zeit von Nr. XIV, also Olymp. 113,4, war er nicht mehr am Leben, wodurch die Angabe in dem falschen Demosthenischen Briefe bestätigt wird." Ephialtem fato urbi ereptum esse etiam apud Dinarchum traditur (I, 33: *ἐξέπλευσεν Ἐφιάλτης —· ἀφείλετο καὶ τοῦτον ἡ τύχη τῆς πόλεως*). Quocum epistula nostra bene congruit. Eodem Dinarchi loco etiam Euthydicus quidam, amicus Demosthenis, nominatur, qui ipse quoque morte civitati ereptus est. Quare fuerunt, qui, ut Schmidtius et Sauppius ad hunc Dinarchi locum, cum in nostra epistula una cum Ephialte Eudicus quidam eandem sortem expertus commemoretur, illum Euthydicum et hunc Eudicum esse eundem suspicarentur. Quam sententiam probavit Dindorfius addens haec verba: „Quam ob rem alter locus ex altero corrigendus videtur, sive *Εὔδικος* sive *Εὐθύδικος* verum fuit viri nomen". Difficile est alterutrum nomen eligere. Sed

1) L. l. tom. III (Seeurkunden), p. 244.

quoniam ex voce quae est *Εὐθύδικος* litteris *θυ* casu amissis facile *Εὔδικος* fieri poterat, fortasse epistulae locus mutandus est. Inter eos autem, quos a populo proditos esse Demosthenes dicit, Charidemum, Philoclem, denique se ipsum enumerat (ep. III, 32). Charidemus etiam apud Dinarchum nominatur. Narratur eum ad regem Persarum ivisse (Din. I, 32) neque vero expressis verbis additur, quali modo mortuus sit. Tamen cum paullo infra de Ephialte dicatur: *ἀφείλετο καὶ τοῦτον ἡ τύχη τῆς πόλεως* (Din. I, 33), inde colligere licet Dinarcho de Charidemi morte compertum fuisse. Darius enim rex eum olymp. 111,4 interfici iussit, decem igitur annis ante quam nostra epistula scripta est. Tamen nostro loco Charidemus inter eos qui a populo deserti sint, non inter eos quos mors abripuerit nominatur. Quare A. Schaefer, ut fidem auctoris epistulae diminuat, in annal. phil. 115 p. 164 haec concludit: „Also Charidemos, den 10 Jahre vorher König Dareios getödtet hatte (D. u. s. Z. III, 1, Seite 132 ff.), lebt dem Schriftsteller noch". Contra ea Blassius iisdem annalibus p. 542 contendit Charidemum in numerum eorum referri potuisse, quos populus deseruisset, etiamsi illo tempore non iam vivus esset. Tamen concedendum erit rem ita narratam esse, ut ne is quidem, qui cautissime hunc locum legerit, non possit non errare. Nemo enim, ut res descripta est, suspicabitur Charidemum tum non iam vivum fuisse. Philocles is est, contra quem Dinarchi tertia oratio scripta est. Videmus igitur nonnulla, quae de his viris narrata sunt, imprimis cum Dinarchi oratione congruere, alia autem haud ita apte exposita esse, pauca denique illa epistula contineri prorsus contraria iis, quae ex orationibus vere Demosthenicis scimus.

Redeamus ad secundam epistulam. In qua Demosthenes maxime admirandum esse dicit, quod unus a Philippo rege non corruptus sit. Optime autem Philippi via et ratio agendi his verbis describitur: *ἐν ἅπαντι τῷ αἰῶνι τῶν μνημονευομένων ἀνθρώπων δεινοτάτου γεγενημένου Φιλίππου καὶ δι' ὁμιλίας πεῖσαι προσέχειν αὐτῷ τὸν νοῦν, ὡς βούλοιτο, καὶ διαφθεῖραι χρήμασι τοὺς ἐν ἑκάστῃ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων γνωρίμους, ἐγὼ μόνος οὐδετέρου τούτων ἡττήθην* (ep. II, 7). Haec Philippi morum descriptio bene cum iis convenit, quae cum in aliis Demosthenis orationibus tum in or. de cor. hab. de illo rege dicuntur. Conferantur or. 1, 4, or. 2, 7, 22 seq., or. 9, 9, or. 18, 19, 32, 45, 61, 175, 235, 284, 296 seq., or. 19, 53 seq., 64 seq., 76 seq., 94, 139 seq., 222, 292, 315. Comparetur etiam locutio, quam modo laudavimus, ep. II, 8: *ἐγὼ μόνος οὐδετέρου τούτων ἡττήθην* cum ea, quae exstat or. 18, 300: *οὐδέ γ' ἡττήθην ἐγὼ τοῖς λογισμοῖς Φιλίππου* et § 244: *οὐδαμοῦ πώποθ', ὅποι πρεσβευτὴς ἐπέμφθην ὑφ' ὑμῶν ἐγώ, ἡττηθεὶς ἀπῆλθον τῶν παρὰ Φιλίππου*

πρέσβεων. Priusquam autem ad Pythonis exemplum transeamus, liceat hoc loco commemorare nonnulla in secunda tertiaque epistula inveniri, quae, aut quod ad sententias aut quod ad res attinet, magis etiam quam quae adhuc repperimus, cum locis quibusdam aliorum scriptorum congruunt. Dixerit fortasse quispiam notum esse illis temporibus locos quosdam oratoribus atticis communes exstitisse. Recte id quidem neque negaverim etiam in epistulis eiusmodi sententias inesse, quas ab auctore adhibitas esse nemo vituperabit. Ita conferas

ep. II, 10 et	or. 18, 8
τὴν πατρίδα —, εἰς ἣν τοσαύτην εὔνοιαν ἐμαυτῷ σύνοιδα, ὅσης παρ᾽ ὑμῶν εὔχομαι τυχεῖν.	*ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ τῇ τε πόλει καὶ πᾶσιν ὑμῖν, τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ᾽ ὑμῶν εἰς τουτονὶ ἀγῶνα.*

Similis locus qui vocatur communis hic est, qui praeter epistulae locum non solum apud Demosthenem, sed etiam apud Aeschinem adhibitus est:

ep. III, 11	or. 57, 6	Aesch. in Ctes 134
ὃς καὶ τοῖς ἀτυχήσασιν ἀεὶ κοινὴν ἔχει καταφυγήν.	*τὴν εἰς ὑμᾶς τοῖς ἀδικηθεῖσιν ἐποιήσατε καταφυγήν.*	*ἡ δ᾽ ὑμετέρα πόλις, ἡ κοινὴ καταφυγὴ τῶν Ἑλλήνων.*

Comparandi sunt etiam hi loci:

ep. III, 45	or. (10), 41
ἔγνωκα γὰρ ἐξ ἀρχῆς παντὶ τῷ πολιτευομένῳ προσήκειν, ἅνπερ ᾖ δίκαιος πολίτης, ὥσπερ οἱ παῖδες πρὸς τοὺς γονέας, οὕτω πρὸς ἅπαντας τοὺς πολίτας ἔχειν.	*ὥσπερ τοίνυν ἑνὸς ἡμῶν ἑκάστου τίς ἐστι γονεύς, οὕτω συμπάσης τῆς πόλεως κοινοὺς δεῖ γονέας τοὺς σύμπαντας ἡγεῖσθαι.*

Quem locum communem A. Schaefer in annal. philol. 115 p. 161 negare nequit ab epistulae auctore melius adhibitam esse quam „in der zusammengeflickten Rede gegen Philipp IV.“. Addo hos locos:

ep. III, 8	or. 2, 4
ὅσα μέντοι λοιδορίας χωρίς ἐστιν, ὧν λέγουσί τινες, καὶ ἀκηκοέναι συμφέρειν ὑμῖν ἡγοῦμαι, ταῦτα δηλώσω.	*ἃ δὲ καὶ χωρὶς τούτων ἔνι, καὶ βέλτιόν ἐστιν ἀκηκοέναι πάντας ὑμᾶς καὶ μεγάλα, ὦ ἄ. Ἀ., κατ᾽ ἐκείνου φαίνοιτ᾽ ἂν ὀνείδη βουλομένοις ὀρθῶς δοκιμάζειν, ταῦτ᾽ εἰπεῖν πειράσομαι.*

ep. III, 41	prooem. (Dem.) 2
καὶ τότε φήσετε δεινὰ πεπονθέναι με ἀκριβῶς οἶδα, ὅτε οὔτ᾽ ἐμοὶ πλέον οὔθ᾽ ὑμῖν ἔσται.	*εἶτα τότε αἰσθήσεσθε ἡμαρτηκότες, ἡνίκα οὐδ᾽ ὁτιοῦν ὑμῖν πλέον ἔσται.*

Praeterea etiam nonnulli alii loci inter se conveniunt. Ita in tertia epistula dicuntur Athenienses beneficos homines, quamdiu iis utan-

tur, honoribus solere afficere, deinde vero neglegere. Tale autem aliquid etiam in orat. Leptinea legimus. Compara enim haec:

ep. III, 9.	or. 20,86.
λείπεται τοίνυν — τὸ ὅσον ἂν χρῆσθε χρόνον, τοσοῦτον ἑκάστου φροντίζειν δοκεῖν, μετὰ ταῦτα δὲ μηδένα ἔχειν λόγον.	οὐδὲ γὰρ ὑμῖν ἁρμόττει δοκεῖν παρὰ μὲν τὰς εὐεργεσίας οὕτω προχείρως ἔχειν, ὥστε μὴ μόνον αὐτοὺς τοὺς εὐεργέτας τιμᾶν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐκείνων φίλους, ἐπειδὰν δὲ χρόνος διέλθῃ βραχύς, καὶ ὅσα αὐτοῖς δεδώκατε, ταῦτ᾽ ἀφαιρεῖσθαι.

Conferenda quoque sunt, quae in epistula secunda et in oratione de cor. hab. Demosthenes de sua ratione administrandae rei publicae dicit:

ep. II, 9	or. 18,277
οὐδὲ καθ᾽ ὑμῶν ἰδίᾳ δεινὸς ὤν, ἀλλ᾽ ὑπὲρ ὑμῶν, εἴ τι δεήσειεν, ἐξεταζόμενος δημοσίᾳ.	εἰ δ᾽ οὖν ἐστι καὶ παρ᾽ ἐμοί τις ἐμπειρία τοιαύτη, ταύτην μὲν εὑρήσετε πάντες ἐν τοῖς κοινοῖς ἐξεταζομένην ὑπὲρ ὑμῶν ἀεὶ καὶ οὐδαμοῦ καθ᾽ ὑμῶν οὐδ᾽ ἰδίᾳ.

Magis etiam ea, quae de Demosthenis animo semper in patriae salutem intento dicuntur, cum or. de cor. hab. congruunt, id quod comparatis his verbis apparebit:

ep. II, 6	or. 18,297 seq.
οὐδὲ ἐν τοῖς μετὰ ταῦτα χρόνοις ἀπέστην τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας, οὐδ᾽ ἀντηλλαξάμην ἀντὶ ταύτης οὐδὲν, οὐ χάριν, οὐκ ἐλπίδας, οὐ πλοῦτον, οὐ δυναστείαν, οὐκ ἀσφάλειαν.	ἐγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι τῶν πολιτευομένων παρὰ τοῖς Ἕλλησι διαφθαρέντων ἁπάντων, — ἔμ᾽ οὔτε καιρὸς οὔτε φιλανθρωπία λόγων οὔτ᾽ ἐπαγγελιῶν μέγεθος οὔτ᾽ ἐλπὶς οὔτε φόβος οὔτ᾽ ἄλλ᾽ οὐδὲν ἐπῆρεν.

Quod vero de Pythone, ut ad eum transeamus, dicitur, paene ad verbum ex or. de cor. hab. sumptum est:

ep. II, 10	or. 18,136
εἰδεῖεν δ᾽ ἂν οἱ πρεσβύτεροι καὶ λέγειν τοῖς νεωτέροις ἐστὲ δίκαιοι τὴν πρὸς Πύθωνα τὸν Βυζάντιον ἐκκλησίαν, ὅτε τοὺς ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων ἦλθε πρέσβεις ἔχων, ὡς ἀδικοῦσαν δείξων τὴν πόλιν, ἀπῆλθε δὲ τἀναντία τούτων παθὼν, μόνου τῶν τότε ῥητόρων ἐξετάσαντος ἐμοῦ τὰ ὑπὲρ ὑμῶν δίκαια.	ἕτερον δ᾽ ἀναμιμνήσκεσθε· ὅτε γὰρ Πύθωνα Φίλιππος ἔπεμψε τὸν Βυζάντιον καὶ παρὰ τῶν αὐτοῦ συμμάχων πάντων συνέπεμψε πρέσβεις, ὡς ἐν αἰσχύνῃ ποιήσων τὴν πόλιν καὶ δείξων ἀδικοῦσαν, τότ᾽ ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι — ἀναστὰς ἀντεῖπον καὶ τὰ τῆς πόλεως δίκαι᾽ οὐχὶ προὔδωκα.

Cum in oratione Demosthenis narratio illa ita fere incipiat: „alterum eiusdem generis mementote“, epistulae loco auctor putare se dicit aetate maioribus rem Pythonis satis notam esse; quare eos adhor-

tatur, ut aetate minoribus eam narrent. Cetera autem, quae de Pythone narrantur, utroque loco inter se conveniunt. An cogitemus Demosthenem sex annorum spatio intermisso verborum de Pythonis legatione olim adhibitorum tam accurate meminisse? Blassius quidem scriptoribns facile accidisse opinatur, ut talia repeterent, id quod A. Schaefer fieri posse iure negat. Sed quo melius Blassii sententiam eiusmodi imitationes auctoribus concedentis vix rectam esse declaremus, liceat statim primae epistulae, quam vir ille doctus etiamsi non ad finem perducta sit, tamen a Demosthene ipso inceptam esse censet, locum quendam adicere. Confer enim:

ep. I, 13	or. 2,22 seq.
καὶ γὰρ εἴ τις ὑπείληφεν εὐτυχῆ τὸν Ἀλέξανδρον τῷ πάντα κατορθοῦν, ἐκεῖνο λογισάσθω, ὅτι πράττων καὶ πονῶν καὶ τολμῶν, οὐχὶ καθήμενος ηὐτύχει.	*εἰ δέ τις ὑμῶν, ὦ ἄ. Ἀ.; τὸν Φίλιππον εὐτυχοῦντα ὁρῶν ταύτῃ φοβερὸν προσπολεμῆσαι νομίζει — ἀλλ', οἶμαι, καθήμεθα οὐδὲν ποιοῦντες — οὐ δὴ θαυμαστόν ἐστιν, εἰ στρατευόμενος καὶ πονῶν ἐκεῖνος αὐτὸς καὶ παρὼν ἐφ' ἅπασι καὶ μηδένα καιρὸν μηδ' ὥραν παραλείπων — περιγίγνεται.*

Hic primae epistulae locus nos Demosthenem epistulae auctorem ducere omnino vetat. An re vera factum esse credamus, ut ea, quae uno loco de Philippo rege narrantur, altero de Alexandro dicerentur? Immo hoc loco A. Schaeferi illud [1]) valere arbitror: „Zwischen der Wiederholung, welche ein Schriftsteller sich selber gestattet und der gedankenlosen Wiederholung eines Nachahmers besteht ein Unterschied.“ Blassium autem cum quaerat [2]): „Welcher? Doch wohl der, dass der Nachahmer dieselben Worte gebraucht, den Gedanken aber fälscht und verschlechtert“, ipsum suis verbis sententiam suam condemnare, si hunc primae epistulae locum contemplamur, intellegimus. Vix enim credibile esse puto Demosthenem ita non modo vocibus sed etiam sententiis eguisse, ut prorsus iisdem verbis, quibus olymp. 107,4 (anno ante Chr. n. 349), quo tempore orationes Olynthiacae habitae sunt, Philippi naturam descripsit, viginti sex annis post Alexandri rationem agendi pingeret. Hunc epistulae primae locum alia ratione ortum esse nego, quam ut auctor, postquam locum aliquem suo usui idoneum in Demosthenis ipsius orationibus indagavit, eum in epistulam mutato regis nomine transscripserit. His igitur locis collatis satis apparere censeo auctorem epistularum sententias quidem communes aptissime adhibuisse atque etiam immutasse eum in modum, quem rerum

---

1) Cf. annal. l. p. 164.
2) Ibid. p. 543.

ratio postulabat. Contra auctor si res gestas temporum partim diu peractorum commemorat, Demosthenis ipsius locis fere ad verbum utitur.

Consideremus porro ea, quae in secunda epistula narrantur. Adhibita *παραλείψεως* quae dicitur figura legationes, quas Demosthenes susceperit, tanguntur. Iam vero idem fere, quod in epistula traditur, in or. de cor. hab. legimus; confer enim:

ep. II, 10	or. 18,244
καὶ ἐῶ πρεσβείας, ὅσας ὑπὲρ ὑμῶν ἐπρέσβευσα, ἐν αἷς οὐδὲν ἠλαττώθητε πώποτε οὐδὲ καθ᾽ ἕν.	*οὐδαμοῦ πώποθ᾽, ὅποι πρεσβευτὴς ἐπέμφθην ὑφ᾽ ὑμῶν ἐγὼ, ἡττηθεὶς ἀπῆλθον τῶν παρὰ Φιλίππου πρέσβεων.*

Cum vero de ipsa hac re fere nihil addatur, tamen multa verba legimus, quibus ratio, qua Demosthenes in universum rem publicam administraverit, defenditur; ita enim semper a se actum esse affirmat, ut civibus gloria pareretur. Adicitur postremo omnes, praesertim autem iuvenes — iterum igitur iuvenes incitantur — hoc admirari decere. Similiter ac legationes munera quoque publica, quae Demosthenes susceperit, praetermittuntur. Quod autem Demosthenes hoc loco de se ipse praedicat: *ἐν οἷς ἐγὼ φανήσομαι οὐ μόνον αὐτὸς ἐξητασμένος πρῶτος, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους παρακεκληκώς* (ep. II, 12), id plane verum esse libenter concedemus.

Sed haec hactenus de rebus gestis in secunda tertiaque epistula relatis. Intellegimus igitur auctoris scientiam rerum illo tempore gestarum in universum non aspernandam esse. Nonnulla quidem non ab auctore ipso profecta sunt, sed ex aliis scriptis deprompta. Praeter haec furta insunt etiam nonnulla, quae fortuito mutata esse videntur, ut ea, quae de Thrasybuli et Archini filiis dicuntur. Quare dubitari poterit, num Demosthenes ipse epistulas scripserit. Si tamen haec mittimus, licebit utrique epistulae aliquam fidem tribuere. Quare Clintonus, cui supra diximus epistulas non genuinas esse visas, non dubitat eas pro testimoniis in tabulis suis adhibere; dicit enim in annotatione ad fast. hellenic. vol. II, p. 442 addita: „The writer of these epistles would therefore have access to authorities now lost, for the facts which he alleges. They are accordingly quoted as testimony in the tables 323,3.“ Ne A. Schaefer[1]) quidem cunctatur epistularum testimonio saepius uti; idem iudicat secundam tertiamque epistulam non sine scientia et facultate quadam compositas esse. Ex iis autem quae extremo loco diximus cognosci potest, ad qualem rationem rei tractandae animus auctoris inclinet. Animadvertimus enim rem

1) In libr. D. u. s. Z. III, 1, p. 319, 1.

quam maxime rhetorice eum instituisse, ut animos legentium commoveret. Quam rem iam diligentius consideremus.

Et in secunda quidem epistula personatus Demosthenes a se quidquam peccatum esse omnino negat. Multae tamen causae, quibus nisus ipsi veniam datum iri speret, explicantur. Videamus, quales illae sint. Omnes vero ita inter se conexas cernimus, ut una sententia per totam epistulam quasi percurrat; sententiam dico hanc, ad gloriam urbis omnia a Demosthene perfecta esse. Statim defensionem suam ita incipit, ut Atheniensium interesse dicat, ut ipse salvus sit, non modo propterea, quod nihil commiserit, *ἀλλὰ καὶ τῆς παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ἕνεκ' εὐδοξίας* (ep. II, 3); omnes enim Graecos scire, quantas res perfecerit. Ubi autem de probitate sua Philippi donis non corrupta dicit, non omittit haec addere: *ὃ κοινὴν ὑμῖν φιλοτιμίαν φέρει* (§ 8); non omittit expressis verbis exponere hoc: *ἐπολιτευόμην γὰρ — ἀφ' ὧν δόξαν καὶ μεγαλοψυχίαν ὑμῖν ὑπάρξειν ἐνόμιζον* (§ 11); non omittit praedicare iis solis, quae ipse de Harpalo rogaverit, urbem omni crimine liberatam esse: *τῶν τε γραφέντων περὶ Ἁρπάλου μόνα τὰ ἐμοὶ πεπραγμένα ἀνέγκλητον πεποίηκε τὴν πόλιν* (§ 14); non omittit denique, postquam se non ad inimicos transiisse, sed etiam iis, qui Troezene Athenienses calumniati essent, obstitisse narravit, addere haec verba: *ἐξ ὧν καὶ μάλιστ' ἂν νομίζω πάντας ἀγασθέντας μου δημοσίᾳ τιμῆσαι* (§ 19).

Praeterea gradatio quaedam in conclusionibus singularum secundae epistulae partium conspicua est. Primum enim valde iratus est Demosthenes, quod, quamvis bene de urbe meritus sit, tam male tractetur, atque ad id inhumanitatis progreditur, ut civium stultitia coactum ex patria se fugisse dicat (ep. II, 8). Cum autem altero loco, ut sibi ignoscant Athenienses, petat, ad eorum iustitiam provocat nihil se peccasse per deos heroesque confirmans (§ 16). Tertio denique loco, quo iterum ut liberetur postulat, cum non ad inimicos Atheniensium transfugiens tam fidelem erga patriam se praestiterit, eorum misericordiam implorat, postremo ius iis concedens ipsi iniuriam inferendi: *παρ' ὧν γὰρ ἁπάντων καλῶν κἀγαθῶν ἔτυχον, τούτους ᾤμην δεῖν ἔχειν καὶ ἁμαρτεῖν, εἰ βούλοιντο, εἰς ἐμέ* (§ 22). Itaque Demosthenes ab ira incipit, transit ad implorandam civium iustitiam, concludit orationem captatione quae vocatur benevolentiae. Haec tertia pars non sine amore et studio aliquo composita est. Ea est auctoris vis, ut omnia, quaecumque pro re tractanda loquuntur, cumulet, et animis eorum qui epistulam legunt inculcet. Primum se excusat Demosthenes, quod effugerit; neque animo neque corpore carceris dedecus perferre se potuisse (§ 17). Deinde dicit se, ne longius ab Athenis abesset, Troezenem in urbem cum Atheniensibus dudum

amicitia coniunctam se contulisse; cum autem Troezenis incolae quidam sibi blandituri maledixissent Atheniensibus, cives a se defensos esse. Inde Calauriam se ivisse, ubi in Neptuni templo consederit non tam securitatis causa quam quia inde semper patriam videre potuerit. Cui vero haec legenti non Homeri haec dicentis (Odyss. I, 57 seq.):

αὐτὰρ Ὀδυσσεύς
ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρῴσκοντα νοῆσαι
ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται

in mentem venit? Etiam haec Demosthenes addit: si in patriam redire sibi non liceat, melius sibi fuisse supplicium subire (*τεθνάναι με κρεῖττον ἦν*, § 21). Et hi fortassse sunt loci, qui H. Wolfium commoverunt, ut l. l. in argumento epistularum ipsi interpretationi praemisso exclamaret: „Sunt autem (epistulae) — tamquam cygnea quaedam cantio itaque suaves, ut neminem tam inhumanum esse putem, quem non cum commiseratione quadam delectent. Me quidem sic nonnullis in locis afficiunt, humanae condicionis miserias et ingratissimos animos belluae illius multorum capitum erga praestantissimos quosque viros et optime de patria meritos cogitantem, ut vix possim tenere lachrymas“. Item, ut iam diximus, confitetur Demosthenes licere Atheniensibus ipsi iniuriam inferre. Hic cognoscitur is Demosthenes, quem Reiskius in epistulis conspicit, dicens l. l.: „Demosthenes' Briefe hingegen haben mir wenigstens so wohl gefallen, dass, wie gross auch sonst meine Hochachtung gegen seine Reden sei, ich dennoch die Briefe desselben, die unstreitig von ihm sind, nicht weniger bewundere. Hier spricht beinahe ein ganz anderer Geist, ein bussfertiger, zerschlagener, durch Unfälle gewitzigter, für seine Freunde zärtlich besorgter, im Leiden standhafter, in der Demüthigung doch edler und ergebener Geist, der weise, es selbst mit seinen Feinden wohlmeinende und sie zurechtweisende, selbst die Hand, die ihn schlägt, küssende Patriot, ein Weiser, von einer rührenden, einnehmenden, entzückenden, aber schwerlich mit Worten auszudrückenden Bildung, nicht aber der boshafte Chicaneur, der seine gehässige, wetterwendische, zanksüchtige, sophistische Klaffzunge in den Reden nur allzu oft hören lässt.“

Tamen hunc locum et praecipue ea, quibus de Calauria insula agitur, paullo accuratius consideremus. Dicit enim Demosthenes se in Neptuni aede Calauriae consedisse non modo securitatis causa, quam per hunc deum sibi fore speret; adduntur autem interposita haec: (*οὐ γὰρ εὖ οἶδά γε· ἃ γὰρ ἐφ' ἑτέροις ἐστὶν ὡς ἂν βούλωνται πρᾶξαι, λεπτὴν καὶ ἄδηλον ἔχει τῷ κινδυνεύοντι τὴν ἀσφάλειαν*), ep. II, 20. Unde vero haec dubitatio? Qui enim fit, ut Demosthenes vereatur, ne hoc fanum sibi nullam securitatem

praebeat? At si recordamur Demosthenem re vera in hoc ipso templo, in quod tamquam asylum confugerat, coactum esse mortem sibi consciscere, ne in hostium manus se traderet, si haec dico recordamur, nonne illa verba, quibus dubitatur, num Demostheni in hac aede aliqua securitas futura sit, quasi vaticinatio ex eventu, quae nominari solet, esse videntur? Quod non melius demonstrari posse puto, quam A. Schaefer in annalibus l. p. 163 fecit his verbis: „Die ganze Situation, wie jene Stelle (Brief 2,20) sie ausmalt, entspricht einzig und allein dem Ende des Demosthenes, als er geächtet und von Häschern verfolgt an der heiligen Stätte sich niederliess und dort zu sterben sich anschickte. — Diese Prophezeihung ist schwerlich vor Demosthenes' Tode geschrieben". Blassius quidem hoc simpliciter negat dicens (ib. p. 542): „Schäfer wurde von einem ganz richtigen Gefühl geleitet, wenn er nach einer solchen vaticinatio suchte; aber was er als solche gefunden zu haben meint (2,20 *ἃ γὰρ ἐφ' ἑτέροις — ἀσφάλειαν*, mit Bezug auf die geringe Sicherheit des Asyls in Caularia, wo der Schreiber sich auch jetzt befindet), hat doch von einer Prophezeihung nicht das Geringste an sich"; at simpliciter infitiando verba Schaeferi minime debilitari arbitror.

Sed — ut hoc loco ea, quae supra praetermisimus, inserantur — videamus, quid apud alios auctores hac de re narretur. Quaeritur enim, conveniatne cum veritate, quod auctor epistulae Demosthenem iam tum, cum primum fugisset, Calauriae fuisse tradit. Exstat quidem Pausaniae testimonium narrantis Demosthenem bis Calauriae moratum esse, I, 8,2 seq.: *ἔστι δὲ καὶ Δημοσθένης, ὃν εἰς Καλαυρείαν Ἀθηναῖοι τὴν πρὸς Τροιζῆνος νῆσον ἠνάγκασαν ἀποχωρῆσαι, δεξάμενοι δὲ ὕστερον διώκουσιν αὖθις μετὰ τὴν ἐν Λαμίᾳ πληγήν. Δημοσθένης δὲ ὡς τὸ δεύτερον ἔφυγε, περαιοῦται καὶ τότε εἰς τὴν Καλαυρείαν, ἔνθα δὴ πιὼν φάρμακον ἐτελεύτησεν.* Vitae tamen Demosthenis eum primum fugientem Calauriam ivisse nesciunt. Apud Plutarchum in vita Dem. cap. 26 haec leguntur: *ἤνεγκε δὲ τὴν φυγὴν μαλακῶς, ἐν Αἰγίνῃ καὶ Τροιζῆνι καθεζόμενος τὰ πολλὰ καὶ πρὸς τὴν Ἀττικὴν ἀποβλέπων δεδακρυμένος.* Haudquaquam igitur narratur Demosthenem etiam Calauriae fuisse, sed quod eum in Aegina moratum esse traditur, id in epistula non legimus. Plutarchus autem etiam hoc narrat Demosthenem Calauriae in Neptuni aede supplicem consedisse, at non cum primum e patria exiisset, sed paullo ante mortem, cum fugeret Antipatrum: *τὸν δὲ Δημοσθένη πυθόμενος ἱκέτην ἐν τῷ ἱερῷ Ποσειδῶνος καθέζεσθαι* cet. (cap. 29). Lucianus [1]) quoque tradit Demosthenem in

1) *Δημοσθένους ἐγκώμιον* § 28, p. 511 seq.

fano illo mortuum esse. In vitis X orat. p. 846 C de Demosthenis priore fuga nihil aliud traditur nisi hoc: *καὶ ἁλοὺς ἔφυγεν;* paullo autem post (E) legimus Demosthenem Antipatro poscente, ut sibi Atheniensium oratores tradantur, Calauriam fugisse: *καταλιπὼν ὁ Δημοσθένης τὴν πόλιν ἔφυγε πρῶτον μὲν εἰς Αἴγιναν ἐπὶ τὸ Αἰάκειον καθεδούμενος, φοβηθεὶς δ' εἰς Καλαυρείαν μετέστη. ἐκδιδόναι δὲ τοὺς ῥήτορας τῶν Ἀθηναίων ψηφισαμένων κἀκεῖνον καθέζετο ἱκέτης ἐν τῷ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερῷ.* Zosimi[1] Ascalonitae vita Dem. de priore fuga Demosthenis haec exhibet: *ὑπονοηθεὶς ὡς λαβὼν παρ' αὐτοῦ χρήματα, κριθεὶς ἐπὶ πεντήκοντα ταλάντους ἔφυγεν εἰς Αἴγιναν;* paullo vero infra haec tradita sunt: *ὅθεν ὀργιζόμενος Ἀντίπατρος ἐστράτευσε κατὰ τῶν Ἀθηναίων. προορώμενος δὲ ὁ Δημοσθένης — ἔφυγεν εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Ποσειδῶνος τὸ ἐν τῇ Καλαυρείᾳ τῇ νήσῳ τῇ πρὸς τῇ Τροιζῆνι.* In vita anonymi[2]) Demosthenem primum quidem Troezenem se contulisse traditur: *κατακριθεὶς — ἀπῆλθην εἰς Τροιζῆνα κρείττονα τῶν ἐν Ἀθήναις δεσμῶν τὴν ἐξ Ἀθηνῶν φυγὴν δοκιμάσας*, deinde vero Antipatro decem oratores poscente Calauriam confugisse narratur: *Δημοσθένης εὐλαβηθεὶς εἰς Καλαυρείαν ἀπέδρα καὶ τοῦ Ποσειδῶνος ἱκέτης ἐγένετο· τὸ δὲ ἱερὸν ἄσυλον ἐδόκει* cet. Apud Photium in bibl. cod 265 p. 494 de priore fuga Demosthenis haec leguntur: *καὶ ἁλοὺς ἔφυγε*, de altera autem fuga haec: *ἐπεὶ δὲ Ἀντίπατρος — ἠπείλει — πολιορκήσειν τοὺς Ἀθηναίους, εἰ μὴ παραδοῖεν αὐτῷ τοὺς ῥήτορας, καταλιπὼν ὁ ῥήτωρ τὴν — πόλιν ἔφυγε. καὶ πρῶτον μὲν Αἰγίνῃ ἀπέστη, εἶτα — εἰς Καλαβρίαν* (quod muta in *Καλαυρείαν*) *μετέστη. ψῆφον δὲ θεμένων Ἀθηναίων ἐκδοῦναι τοὺς ῥήτορας, ἱκέτης ἐν τῷ τοῦ Ποσειδῶνος προσήδρευεν ἱερῷ.* In vita Demosthenis, quam Suidas primo loco habet, de eius morte haec narrantur: *ἐτελεύτησε δὲ φυγὼν εἰς Καλαυρείαν ἐν τῷ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερῷ διὰ τὸν Μακεδόνα Ἀντίπατρον.* In tertia vero Suidae vita Demosthenem primum Troezenem fugisse traditur: *καὶ ἔφυγεν εἰς Τροιζῆνα*, pergitur autem: *Ἀλεξάνδρου δὲ ἐν Βαβυλῶνι τελευτήσαντος ὁ Δημοσθένης κατῆλθε κληθείς. Ἀντίπατρος δὲ ἄρξας τῶν Ἑλλήνων πέμψας ἐξαιτεῖ τοὺς δέκα ῥήτορας. ἐκδόντων Ἀθηναίων ὁ Δημοσθένης εἰς Καλαυρείαν ἔφυγεν.* Restat denique ut ea, quae Maximus Planudes de Demosthenis priore fuga profert, adiciam: *ἀπέδρα τοῦ δεσμωτηρίου καὶ ἀπῆλθεν εἰς Τροιζῆνα, κἀκεῖθεν εἰς Ἄργος· ὅθεν τῷ δήμῳ τὰς ἐπιστολὰς ἐπιστέλλει ταύτας* (cf. supra p. 9). Ex his igitur testimoniis nihil certi colligi potest. Unum hoc omnibus commune est Ca-

1) In orat. gr. ed. Reisk. vol. IV, p. 150, p. 153.
2) Ibid. p. 158 seq.

lauriae Demosthenem mortuum esse. Sed ut etiam tum, cum e carcere effugerit, Calauriae eum fuisse credamus, tamen cum quaeram, quid Demosthenem commovere potuerit, ut ibidem supplex in aede Neptuni consideret, non invenio quid respondeam. Nam cum sua sponte in exsilium iverit, nullum ei periculum imminebat, quin etiam omni tempore ei Athenas redire licebat. Quod tertia epistula confirmatur. Nam ex responso, quod Demosthenes dat interrogantibus, quid eum prohibeat, quominus in patriam redeat, elucet hoc ei non interdictum esse (ep. III, 39 seq.). Nonne igitur suspicio oritur epistulae auctorem commodam sibi occasionem commovendorum animorum parare studuisse, ut eos ad misericordiam incitaret? Quare, opinor, quam cautissimi in accipiendis iis, quae auctor epistulae tradit, simus necesse est, quoniam cogitari potest auctorem res gestas, si opus erat, etiam contra veritatem ad suum commodum et usum immutasse. Ita fides epistularum valde imminuitur. Addere denique liceat auctorem epistularum sub Aeschinis nomine fictarum hunc totum locum nostrae secundae epistulae imitatum esse. Dicit enim ep. XII, 9 seq. se (Aeschinem) non ad Thebanos, non ad Thessalos, apud quos Athenienses vituperari auditurus esset, sed ad Rhodios se contulisse.

Sed praeter eas, quas attulimus, etiam aliae quaedam gradationes in secunda epistula nobis occurrunt, quae rhetoricam eius naturam patefaciunt. Narratur Demosthenem nulla re a benevolentia civibus semper habita abstrahi potuisse (ep. II, 6). Sequitur gradatio quaedam: *ὃ δὲ, πολλῶν ὄντων καὶ μεγάλων ἐφ᾽ οἷς εἰκότως ἐπέρχεταί μοι παρρησιάζεσθαι, μέγιστον ἡγούμην, οὐκ ὀκνήσω γράψαι πρὸς ὑμᾶς* (§ 7) et cetera, quibus verbis exponitur Demosthenem Philippi neque vi persuadendi pervictum neque auro umquam corruptum esse. Tamen ne hoc quidem quidquam valet; sed ipse dicit Demosthenes: *πάντα τοίνυν τὰ προειρημένα ἐλάττω νομίζω τῆς συνεχοῦς καὶ καθ᾽ ἡμέραν πολιτείας* cet. (§ 9). Communis erat omnium oratorum consuetudo, ut, quidquid aliquis fecerat, id ita depingere conarentur, quasi non modo non vituperandum, sed valde probandum esset. Ita Andocides [1]) non modo nullum odium, verum etiam favorem sibi fore exspectat: *χάριν οὖν εἰκός με, οὐ μῖσος τῷ δυστυχήματι τούτῳ φέρεσθαι παρ᾽ ὑμῶν.* Comparari etiam potest hoc Demosthenis: *δι᾽ ἃ φημι καὶ τούτων τῶν προβεβουλευμένων καὶ πολλῷ μειζόνων ἔτι τούτων δωρεῶν δίκαιος εἶναι τυγχάνειν* (or. 18,53). Similia initio secundae epistulae invenimus: *ἐνόμιζον μὲν ἀφ᾽ ὧν ἐπολιτευόμην, οὐχ ὅπως*

---

1) *Περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου* § 9.

μηδὲν ὑμᾶς ἀδικῶν τοιαῦτα πείσεσθαι, ἀλλὰ καὶ μέτρια ἂν ἐξαμαρτὼν συγγνώμης τεύξεσθαι. Similiter § 5 traditur Demostheni persuasum esse se omnia ita perfecisse, ut Athenienses ab omnibus hominibus praedicentur, ipse autem maxima dona se accepturum esse speret.

Etiam tertia epistula, ut ad hanc transeamus, ita composita est, ut facile quispiam suspicari possit auctoris praecipue interfuisse artem suam rhetoricam quam maxime in lucem proferre. Agitur ea de Lycurgi liberorum rebus. Per totam autem epistulam intellegitur auctorem in re explicanda semper exempla bene inter se opposita conferre studuisse et singulas partes, aeque atque in secunda epistula fit, patheticis verbis ut ita dicam conclusisse. Ita statim initio epistulae tertiae (§ 6 seq.) inter se comparantur laudes, quibus Athenienses Lycurgum ipsum affecisse Graeci sciant omnes, et ratio, qua nunc in liberos eius se gerant, cum eos in carcerem et vincula coniecerint; qua de causa Lycurgo eiusque liberis misericordiam, odium Atheniensibus nasci. Ita cum Atheniensium atrocitate, qui ad omnem humanitatem exculti liberos innocentes innocentis hominis et de urbe bene meriti tam male tractaverint, lenitas Philippi comparatur, qui quamvis barbarus tamen captivos (post proelium Chaeroneense dimissos) vincire non ausus sit (§ 11 seq.). Ceterum quod hoc loco Philippus rex *ἀνουθέτητος ὢν εἰκότως τραφεὶς γ' ἐν ἐξουσίᾳ* depingitur, hoc cum veritate non convenit; quod iam H. Wolfius vidit ad hunc locum annotans regem illum praeceptorem Lysidem Pythagoricum et condiscipulum Epaminondam, omnis officii exemplum, habuisse. Respiciendum vero etiam illud est, cum hoc tertiae epistulae loco non convenire descriptionem morum Philippi quae est in secunda epistula. Itaque nostro loco ideo illud *ἀνουθέτητος ὢν εἰκότως* additum esse videtur, quo regis humanitas magis eluceat. Cautius autem et multo urbanius eandem sententiam Demosthenes ipse in or. de cor. habita § 68 exprimit hisce: *οὐδεὶς ἂν εἰπεῖν τολμήσαι, ὡς τῷ μὲν ἐν Πέλλῃ τραφέντι, χωρίῳ ἀδόξῳ τότε γ' ὄντι καὶ μικρῷ, τοσαύτην μεγαλοψυχίαν προσῆκεν ἐγγενέσθαι, ὥστε τῆς τῶν Ἑλλήνων ἀρχῆς ἐπιθυμῆσαι —, ὑμῖν δ' οὖσιν Ἀθηναίοις — τοσαύτην κακίαν ὑπάρξαι, ὥστε τῆς ἐλευθερίας — παραχωρῆσαι Φιλίππῳ.* Ut vero ad tertiae epistulae locum redeamus, addendum est comparatione illa perfecta hanc partem ita finiri: *οὐδὲν ἀθλιώτερον ἔσται τοῦ τῆς ὑπὲρ τοῦ δήμου τάξιν αἱρεῖσθαι* (ep. III, 15); quae sententia paullo infra exemplis illustratur.

Inseruntur autem tres paragraphi (16—18), quibus de Moerocle agitur. Comparantur inter se haec duo, quomodo erga Moeroclem Athenienses egerint et quomodo ipse contra liberos Lycurgi egerit. A. Moerocle enim, cum ipse cum compluribus aliis traditus

in carcerem non modo non vinctus sit, sed etiam in rostra escenderit, liberos Lycurgi statim vinctos esse.

Iterum sententiae inter se contrariae ad rem illustrandam introducuntur: Saepius accidisse, ut Athenienses in liberis id magni aestimarent, quod patres fecissent; quod cum exemplis filiorum Aristidis, Thrasybuli, Archini probare auctor studeat, iam commemoratum est ex orationibus vere Demosthenicis de Thrasybuli et Archini liberis contrarium potius notum esse. Hac occasione statim auctor utitur ad laudandum illum Atheniensium morem. Hac enim re multos incitari, ut populi partes sequantur, cum videant ea, quae a se gesta sint, si non ipsis, tamen liberis suis prodesse; aliter liberis Lycurgi contigisse, quorum pater tempore modo praeterito de urbe optime meruerit (ep. III, 19—22). Sequitur contraria res. A lectore postulatur, ut obliviscatur, quod modo explicatum est populum interdum gratum erga benevolos et beneficos se praestitisse. A re Lycurgi liberorum defendenda auctor recedit transitque ad universam Athenarum fortunam exponendam. Exemplis enim declarare studet, quanto interdum melius ii se habeant, qui a parte inimicorum stent, quam ii qui vere populi sint amici, cum illis facilius ignoscatur (§ 23—28). Sed in hac re auctor omni arte logica destituitur. Lachetis quidem exemplo, qui in carcerem aeque ac Lycurgi liberi iactus Alexandro, cuius commodum curaverat, litteras mittente omni culpa liberatus est, optime demonstratur, quod erat demonstrandum. At minime aptum est Mnesibuli exemplum. Dicitur enim expressis verbis eum fuisse hominem frugi (*ἄξιος γὰρ ἀνήρ*, § 25). Atqui non propositum erat, ut de hominibus frugi, sed ut de iis sermo esset, qui contra civium salutem egissent. Quid igitur hoc exemplo probari potest? Ne Blassius quidem hanc difficultatem infitiatur neque ulla ratione excusare aut tollere potest. Nam diutius hac in re auctor commoratur atque id quod sibi proposuit repetit his verbis: *μὴ τοίνυν τὸ κτήσασθαι τὴν ἔξωθεν φιλίαν λυσιτελέστερον δείκνυτε ἢ τὸ τῷ δήμῳ παρακαταθέσθαι ἑαυτὸν μηδὲ τὸ τῶν ἀγνώτων εἶναι κρεῖττον ἢ τοῖς πολλοῖς ὑμῖν τὰ συμφέροντα πολιτευόμενον γιγνώσκεσθαι* (§ 27). Quis autem est, qui contendere audeat ipsum oratorem Paeaniensem tali modo contra artem logicam peccasse? Aliam quoque difficultatem hic locus habet. Nam quid sibi velit quod dicitur: eo, quod his viris vos cives ignovistis, non modo non leges sustulistis, verum etiam — graecis verbis uti liceat — *τοὺς βίους ἐσῴζετε τῶν τοὺς νόμους θεμένων ἀνθρώπων* (ep. III, 26), nemo adhuc intellexit. Ceterum ne huius quidem partis finis, id quod saepius factum esse videmus, verbis rhetorice ornatis caret: *ὅλως δὲ κοινόν ἐστιν ὄνειδος ἁπάντων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ ὅλης τῆς πόλεως συμφορὰ τὸν φθόνον δο-*

κεῖν μεῖζον ἰσχύειν παρ᾽ ὑμῖν ἢ τὰς τῶν εὐεργεσιῶν χάριτας, καὶ ταῦτα τοῦ μὲν νοσήματος ὄντος, τῶν δὲ (ἐν) τοῖς θεοῖς ἀποδεδειγμένων (§ 28).

Iam praestare externam amicitiam quaerere etiam Pytheae exemplo exponitur (§ 29 seq.). Huic viro alium opponi opus non est, cum ipse quodammodo contraria in se contineat, antea populi partem secutus, tum eius inimicis deditus. Uberius explicatur Pytheam pauperem fuisse, mutata vero sententia locupletem factum esse et duas meretrices alere potuisse, quae, ut auctor gaudet, *μέχρι φθόης καλῶς ποιοῦσαι προπεπόμφασιν αὐτόν* (§ 30).

De viris bene de urbe meritis, qui deinde commemorantur, supra dictum est. Etiam hic, ut auctor distinctiones adamat, ii, quos mors urbi eripuit, ab iis, qui a populo proditi sunt, secernuntur. Difficultatem aliquam hac re oriri supra p. 25 vidimus. Iterum fusius declaratur talibus exemplis neminem incitari, ut rem publicam administret; tempus enim praesens clementiam magis quam odium requirere (§ 33 seq.). Iterumque verbis sophisticis haec pars finitur: *εἰ γάρ, ἃ μηδεὶς ἂν ἤλπισεν, ὁρῶν γεγενημένα, ἃ καὶ πρότερον γέγονε τοῦ δήμου πρὸς τοὺς ὑπὲρ αὐτοῦ λέγοντας ὑπ᾽ ἀνθρώπων ἐγκαθέτων διαβληθέντος, νῦν μὴ ἂν οἴεται γενέσθαι, πῶς οὐ τετύφωται;*

His verbis haec epistulae pars, maior illa quidem, qua agitur de liberis Lycurgi, finitur et ad Demosthenem ipsum transitur. Liceat autem hoc loco paucis de dispositione tertiae epistulae disserere. Non enim constare sibi auctor videtur, quod, cum primis epistulae verbis exponat de suis quidem rebus se secundam epistulam scripsisse, hac tertia epistula pro Lycurgi liberis se dicturum esse, tamen in posteriore tertiae epistulae parte ad suam ipsius causam defendendam transit. Attamen A. Schaefero non assentior, qui hoc auctori epistulae exprobrans in ea ipsa re animi quandam debilitatem cernit. Nam si concedamus, id quod negari vix poterit, in epistulis maiorem libertatem sententiarum disponendarum ita permissam esse, ut rerum inter se conexus interdum paullo laxior sit quam in orationibus praecipue iudiciariis, Demostheni, quippe cuius paene eadem fortuna fuerit quae liberorum Lycurgi, commodissimum ab his ad suam ipsius sortem transitum patuisse facile credemus. Accedit, quod illud haud inepte fit, sed causis allatis satis excusatur (§ 35, 36). Praeterea autem hic transitus eo praeparatus est, quod saepius Demosthenis fortuna pro exemplo adhibetur; ita ipse inter eos viros enumeratur, qui a populo deserti sint (§ 32). Hoc igitur nullam praebere offensionem arbitror. De Mnesibuli vero exemplo male cum Lachetis coniuncto pag. 36 modo diximus. Totam autem epistulam considerans,

quoniam omnia paucis exceptis tolerabili modo inter se cohaerent, rerum dispositionem pro epistula haud ita perversam esse censeo.

Sed ut ad extremam tertiae epistulae partem redeamus, cum de rebus, quae ad causam Harpalicam pertinent, supra expositum sit, restat, ut etiam in hac parte pro auctoris consuetudine comparationem quandam inter Demosthenem et Aristogitonem cum delectatione aliqua allatam esse dicamus. Bis autem id fit et § 37 seq. et § 42 seq., quorum locorum utrumque arte quadam rhetorica exornatum esse nemo negabit. Extremis tertiae epistulae verbis sequitur excusatio Demosthenis precautis, ne quis civibus se succensere putet; tamen iis, quibus iniuria facta sit, tamquam levationi esse, si dicant, quid patiantur, sicut iis, qui dolores habeant, si gemant; se autem omnia perferre velle. *Ἡ γὰρ ἐν τοῖς τοιούτοις ἧττα καλὴ καὶ προσήκουσα νίκη παρὰ τοῖς εὖ φρονοῦσι κρίνεται. εὐτυχεῖτε.* Hac sententia communi finitur tertia epistula.

Quae ex erroribus ab auctore epistulae secundae tertiaeque commissis et rhetorica earum indole nobis orta est de fide illarum suspicio, ea nescio an etiam augeatur, si singula quaedam reputaverimus, quae ad compositionem pertinent.

Ut in universum utraque epistula arte quadam rhetorica est composita, ita in singulis partibus sermonem saepius sententiis rhetoricis ornatum esse videmus. Recordemur eorum, quae de locis communibus, qui quidem similiter etiam in aliis scriptis reperiuntur, supra dicta sunt. Saepissime tales sententiae insertae sunt. Ita, ut exemplo utar, ep. II, 15 ad id probandum, quod demonstrandum est, additur: *τὰ γὰρ μὴ γενόμενα οὐκ ἔστι ποιῆσαι γεγενῆσθαι;* paulloque infra haec leguntur: *τὸ γὰρ μηδὲν ἐμαυτῷ συνειδέναι πεῖράν μοι δέδωκεν εἰς μὲν ὠφέλειαν ἀσθενὲς ὄν, εἰς δὲ τὸ μᾶλλον λυπεῖσθαι πάντων ὀδυνηρότατον.* Neque vero de his opus erit pluribus agi. Auctor igitur facundia quadam non caret. Tamen ut in omni ratione rei explicandae nimia simplicitas cognoscitur, ita singulae sententiae nimis saepe iterantur. Initium quidem tertiae epistulae quantam habet copiam iterationum! Dicit enim Demosthenes se in exsilio audire a Graecis ceteris Athenienses valde vituperari, quia liberos Lycurgi tam male tractaverint (§ 1). Lycurgi autem ipsius causa epistulam se concepisse (§ 2). Eius meritis breviter expositis auctor proponit, quomodo rem tractaturus sit: imprimis propterea epistulam se scripsisse, quod civibus suis utile esse putet (*ὑμῖν νομίζων συμφέρειν*), si comperiant, quam vehementer reliqui Graeci Atheniensibus irascantur; ipsos quoque scire, quam mala fama Lycurgi liberorum causa fruantur (§ 5). Paullo infra auctor temperare sibi non potest, quin iterum commemoret Athenienses ab omnibus vituperari:

ὑμῖν δ' ἐπιτιμῶσι πικρῶς, ὡς οὐκ ἂν τολμήσαιμι γράφειν ἐγώ. Iterumque auctor confitetur se civium utilitatis causa (*συμφέρειν ὑμῖν νομίζων εἰδέναι*) epistulam misisse (§ 7). Tertium idem sequitur: *ὅσα ἀκηκοέναι συμφέρειν ὑμῖν ἡγοῦμαι, ταῦτα δηλώσω* (§ 8). Bis etiam Athenienses admonentur et *πρὸς τὸ δίκαιον ἀκοῦσαι* (§ 1) et *ὑπομεῖναι τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια ἀκούειν* (§ 5). Bis dicitur iis, qui vere a populi parte stent, nulla dona exspectanda esse (§ 3): *ἀπὸ γὰρ τῶν ἐναντίων πάντα τὰ τοιαῦτα ἐγίγνετο* et (§ 4): *καίτοι παρὼν ἑώρα τοὺς μὲν βοηθήσοντας τῷ δήμῳ ἀσθενεῖς ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσιν ὄντας, τοὺς δὲ τἀναντία πράττοντας κατὰ πάντα ἐρρωμένους*, id quod etiam in secunda epistula similibus verbis dicitur: *καίτοι πάντα ταῦθ' ἑώρων ὑπάρχοντα τοῖς καθ' ὑμῶν βουλομένοις πολιτεύεσθαι* (ep. II, 6). Eadem sententia in tertia epistula ter repetitur. Ep. III, 18 fere idem dicitur; paullo infra hoc iteratur (§ 23); quod propterea fit, quia auctor ad id, quod antea ostendit, redit. Quod vero legitur § 23: *τοῖς μὲν ἄλλην τινὰ κτησαμένοις φιλίαν καὶ κατορθοῦσιν ἐν πᾶσι πλεονεκτεῖν ὑπάρχει*, idem exemplis nonnullis prolatis retractatur sub forma adhortationis: *μὴ τοίνυν τὸ κτήσασθαι τὴν ἔξωθεν φιλίαν* cet (§ 27). Totiens singulae sententiae paene iisdem verbis iterantur!

Omnino loci inter se similes cuiusvis generis nobis occurrunt. Sicuti omnes Graeci omnia, quae Demosthenes perfecerit, in secunda epistula sciunt, ita in tertia epistula omnia, quae ad Lycurgum pertinent, Graeci omnes noverunt (cf. ep. II, 4: *μὴ γὰρ — τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ἀγνοεῖν νομίζετε μηδ' ἐπιλελῆσθαι τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων ὑπὲρ ὑμῶν* et ep. III, 6: *οὐδεὶς γὰρ τῶν Ἑλλήνων ἀγνοεῖ, ὅτι ζῶντα Λυκοῦργον ἐτιμᾶθ' ὑμεῖς;* cf. etiam or. 18,202: *τίς γὰρ οὐκ οἶδεν Ἑλλήνων, τίς δὲ βαρβάρων*). Eadem similitudo patefit, cum in fine singularum partium, in quas tertia epistula divisa est, semper, ut supra vidimus, locus aliqui communis additus sit. Nonnulli horum locorum etiam verbis inter se sunt simillimi. Ep. III, 18 hoc exstat: *ἐγὼ μὲν οὐκ ἔχω συλλογίσασθαι, εἰ μὴ καὶ τοῦτο δεῖξαι δημοσίᾳ βούλεσθε, ὅτι βδελυρία καὶ ἀναίδεια καὶ προαίρεσις πονηρίας ἐν τῇ πόλει ἰσχύει.* Quod hoc loco de impudentia dicitur, altero quodam loco de invidia dictum legimus, ep. III, 28: *ὅλως δὲ κοινόν ἐστιν ὄνειδος ἁπάντων — τὸν φθόνον δοκεῖν μεῖζον ἰσχύειν παρ' ὑμῖν ἢ τὰς τῶν εὐεργεσιῶν χάριτας καὶ ταῦτα τοῦ μὲν νοσήματος ὄντος —.* Ceterum hoc loco duarum rerum mihi in mentem venit, primum quidem formulae, quae est *καὶ ταῦτα*, ter in tertia epistula in fine singularum partium adhibitae. Praeter locum modo laudatum legitur § 22: *καὶ ταῦτ' εἰς τοὺς παῖδας αὐτοῦ —*; tertium autem fine totius fere epistulae, ubi Demosthenes et Aristogito inter se conferuntur: *καὶ ταῦτ'*

ἀπολωλότι πρὸς σωτηρίας τετυχηκότα (§ 43). Deinde quam modo legimus locutionem: *κοινόν ἐστιν ὄνειδος ἁπάντων* (ep. III, 28), eam ter repetitam reperimus. Paullo infra (§ 30) eadem recurrit: *ὃ κοινὸν ὄνειδός ἐστιν ἅπασιν* et repetitur tandem § 38: *κοινὸν ὄνειδος τῶν ἀδικησάντων*. Tantopere auctor hanc sententiam iram suam reddentem adamat! Compara etiam ep. III, 31 et 32. Quod enim priore loco dicitur: *ὅταν οὖν τοιαῦτα καὶ τηλικαῦτα πᾶσιν ἰδεῖν ᾖ παραδείγματα, ἀφ᾽ ὧν — γένησθε*, id aliquot tantum hominibus de re publica bene meritis nominatis repetitur: *ἀλλ᾽ ὅταν γε τοιαῦτα, οἷα τὰ νῦν, παραδείγματα ἐκφέρητε, τίς — δοῦναι*. His locis nonne molesta illa similitudo, quam Cicero [1]) satietatis matrem vocat, indicatur?

Sed ad aliam rem transeamus. Westermannus quidem „anilem auctoris verbositatem" vituperat. Contra Blassio [2]) placet „eben jene Fülle des Ausdrucks und der Behandlung, die auch in der Rede vom Kranze herrscht." In his A. Schaeferum non habet assentientem. Is enim sic iudicat in annal. l. p. 165: „Meines Erachtens ist der Ausdruck schwerfällig und geschraubt, der Satzbau von der Klarheit und Durchsichtigkeit der Demosthenischen Redeweise weit entfernt." Confiteor ne me quidem Blasii sententiam veram esse arbitrari. Pauca exempla sufficient ad rem probandam. Philippi regis ratio agendi describitur hisce: *ὅτι ἐν ἅπαντι τῷ αἰῶνι τῶν μνημονευομένων ἀνθρώπων δεινοτάτου γεγενημένου Φιλίππου* (ep. II, 7). Quot verba pro brevi epistula! Tamen hoc fortasse ferri potest. Nec commemoro, quod ep. II, 25 reperitur: *λῦπαι καὶ δάκρυα καὶ τῆς πατρίδος καὶ ὑμῶν πόθος καὶ ὧν πέπονθα λογισμός*. Verbosior haec quoque cumulatio est: *βδελυρία καὶ ἀναίδεια* cet. ep. III, 18 et *ἡ καθήκουσα μοῖρα καὶ ἡ τύχη καὶ ὁ χρόνος* (ep. III, 31). Tamen haec mittamus: complura sunt, quae minime placeant. Ita ep. II, 9 invenimus haec verba: *πάντα τοίνυν τὰ προειρημένα ἐλάττω νομίζω τῆς συνεχοῦς καὶ καθ᾽ ἡμέραν πολιτείας, ἐν ᾗ παρεῖχον ἐμαυτὸν ἐγὼ πολιτευόμενον*. Haec nonne nimia est verbositas? Enuntiatum quod relativum grammatici dicunt nonne tantum non superfluum est? Accedit, ut miro quodam modo substantivum quod est *πολιτεία* in enuntiato relativo verbo *πολιτεύεσθαι* ex eadem radice orto repetatur. Neque vero dubitarem totum enuntiatum relativum pro glossemate habere, nisi in epistula saepius horum similia invenirentur, quae neglegentia quadam in epistulis scribendis veteribus scriptoribus permissa excusare vix quisquam audebit. Simile aliquid hoc est: *καὶ γὰρ*

1) De inv. 1, 41, 76.
2) In progr. commem. p. 6.

ἐμαυτοῦ κυρίους ὑμᾶς ἐποίησα καὶ οὐκ ἔφυγον τὸν ἀγῶνα, ἵνα μήτε προδῶ τὴν ἀλήθειαν μήτ' ἄκυρος ὑμῶν ἐμοῦ μηδεὶς γένηται (ep. II, 22). Quod igitur in enuntiato primario affirmative exprimitur, idem in enuntiato illi subiuncto duabus negationibus adhibitis eadem voce repetitur: in potestatem Atheniensium se permisit, ne eorum potestati se subtraheret. Nec minus ineptus tertiae epistulae hic locus videtur: ὅσοις μέντοι πατρικὰς εὐεργεσίας ἀπεμνημονεύσατε τῶν ἄλλων, ἡδέως ἂν ἴδοιμι ὑμᾶς ἀναμνησθέντας (ep. III, 19). Confer, ut hoc statim commemorem, etiam ep. IV, 3: ὅσα — δηλοῦσιν οἱ θεοί, δῆλον ὡς προλέγουσιν. Addo hunc quoque locum: ἔστι δ' ἡ Τροιζηνίων αὕτη, ἣ μάλιστα μὲν οἱ θεοὶ καὶ τῆς πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας ἕνεκα καὶ τῆς εἰς ἐμὲ εὐεργεσίας εὖνοι πάντες εἴησαν (ep. II, 19). Quid? clarissimi oratoris putemus hanc esse clarissimam illam artem dicendi? Quin etiam in epistula tertia inesse enuntiatum supra iam diximus, quod quid sibi velit plane non intellegitur, ep. III, 26: τοὺς βίους ἐσώζετε τῶν τοὺς νόμους θεμένων ἀνθρώπων.

Adicio haec. Initio secundae epistulae (§ 3 seq.) adhortatur Demosthenes cives, ne putent ceteros Graecos ea, quae pro Atheniensibus ipse fecisset, oblitos esse; quae singula se perscribere dubitare et invidiae causa et quia Athenienses multa, quae rebus a se gestis non digna sint, propter ceterorum Graecorum malignitatem facere cogantur. Ita auctor ipse vim verborum suorum debilitat. Quid enim aliud facit, si in eadem sententia primum Graecorum testimonium ad confirmanda ea quae exponit advocat, deinde autem eorum malignitatem commemorat? Neque vero solum ceteros Graecos, verum etiam Athenienses ipsos iniuria lacessit iracunde dicens haec: τὸ γὰρ τῷ τοιούτῳ τοῦτον τὸν τρόπον κεχρῆσθαι ἐμοὶ μὲν ἂν εὖ οἶδ' ὅτι φανείη συμφορά, κακία δὲ οὐδεμία, ὑμετέρα δὲ ἀγνωμοσύνη (ep. II, 8). In tertia epistula Athenienses magnum aliquod convicium effugiunt. Placet enim auctori haec scribere de Atheniensibus: καὶ τὸ μηδένα ἀνθρώπων εἰς μηδὲν τῶν ἄλλων ἀναισθησίαν ὑμῶν καταγνῶναι (ep. III, 8). Etiam Areopagi auctoritatem maledictis insectatur epistularum auctor. Leguntur enim haec ep. III, 42: εἰ δὲ τὸ περιφανὲς ἀξίωμα τῆς βουλῆς (τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου) προσβλέπετε, τῆς Ἀριστογείτονος κρίσεως ἀναμνησθέντες ἐγκαλύψασθε. Verbis autem, quae sequuntur: οὐ γὰρ ἔχω τούτου πρᾳότερον πρόσφθεγμα τοῖς τοιαῦτ' ἐξημαρτηκόσιν εἰς ἐμέ, convicium non delenitur, quae declarant auctorem, etiamsi sibi conscius sit, quam acriter cives offenderit, tamen hoc fecisse. Idem docet alius quoque locus, quo auctorem perpendentem habemus, inveniatne idoneam vocem, nihilominus autem verbo αἰσχύνεσθαι de Atheniensibus utitur. Est autem hic locus: οἵτινες, ὦ (τί ἂν εἰπὼν μήθ' ἁμαρτεῖν δοκοίην

μήτε ψευσαίμην;) λίαν ὀλίγωροι, οὔτε τοὺς ἄλλους οὔθ' ὑμᾶς αὐτοὺς αἰσχύνεσθε —; (ep. III, 37). Non commemoro hoc: *εἰ δέ τις ὑμῶν διασύρει ταῦτα, πολλῆς ἐστιν εὐηθείας μεστός* (ep. III, 34). Hi sunt loci, ad quos verba quaedam hypothesis septimae orationis, quae contra Demosthenicam originem illius orationis congeruntur, referri posse arbitror: *ὁ μὲν γὰρ Δημοσθένης εἴωθε παρρησίᾳ χρῆσθαι, τοῦτο δὲ ὕβρις ἐστὶ καὶ λοιδορία μέτρον οὐκ ἔχουσα.*

Restat, ut pauca dicamus de omni epistularum indole. Iam ex iis, quae adhuc dicta sunt, colligitur orationes nos habere forma epistularum indutas. Neque enim simplicitatem verarum epistularum deprehendimus, sed et in rebus et in sententiis universa ratio est oratoria. Forma quidem epistularum in universum servata est. Interdum tamen locutiones occurrunt, quae magis oratorem quam epistulae scriptorem deceant. Bis vero auctor se epistulam scribere omnino oblitus esse mihi videtur. In secunda enim epistula alloquitur maiores aetate, qui iuvenibus de Pythone narrent: *εἰδεῖεν δ' ἂν οἱ πρεσβύτεροι καὶ λέγειν τοῖς νεωτέροις ἐστὲ δίκαιοι τὴν πρὸς Πύθωνα τὸν Βυζάντιον ἐκκλησίαν* (ep. II, 10). Nam concedendum erit in epistula quidem auctori non licuisse tali modo transire ad directam ut ita dicam allocutionem, quae non ad omnes Athenienses, ad quos haec epistula missa est, sed ad partem eorum, ad aetate maiores, pertinet. Permissa est talis allocutio oratori, qui ad nonnullos auditorum se convertere potest, epistulae scriptori non permissa. Etiam in tertia epistula similis locus inest. Ibi enim § 25 dicitur: *καὶ οὐδεὶς ἐπὶ τούτοις τοὺς νόμους ἔφη καταλύεσθαι τῶν νῦν βοώντων.* Haec nonne est formula oratori conveniens, qui coram turbulenta plebe dicit, minime ab eo, qui epistulam concipit, adhibenda? Epistulas vero nostras orationum naturam prae se ferre etiam in eo cernitur, quod perpetuitas verborum interdum parenthesibus quae dicuntur interrumpitur, ut ep. III, 37: *οἵτινες, ὦ (τί ἂν — ψευσαίμην;) λίαν ὀλίγωροι.* Accedit, quod saepius dii advocantur tali modo (ut exemplo utar ep. II, 16: *ὡς ἴστωσαν οἱ θεοὶ καὶ ἥρωες*), qualis minime epistulis aptus, quin etiam ipsis Demosthenicis orationibus inauditus est. Haec tamen magis ad elocutionem spectant, quam infra contemplabimur.

Nam priusquam de sermone disseram, ea breviter commemorare liceat, quae de prima, quarta, sexta epistula dicenda sunt.

Primam quidem epistulam post Alexandri regis mortem compositam aut esse aut fingi supra iam diximus (§ 13: *νῦν τοίνυν τεθνεῶτος ἐκείνου*). Zosimi testimonium nihil valere puto, qui Demosthenem in patriam reversum iterum contra Alexandrum regem egisse narrat: *ἔφυγεν εἰς Αἴγιναν· ὕστερον δὲ ἀφείσης*

αὐτῷ τῆς πόλεως ἐπανῆλθεν καὶ πάλιν κατ' Ἀλεξάνδρου ἔλεγε (or. gr. ed. Reisk. vol. IV, p. 150). Hoc enim nullo alio testimonio confirmatur. Rectius quidem anonymus in vit. Dem. (ib. p. 158) haec scripsit: Ἀλεξάνδρου δὲ χωρισθέντος ἐξ ἀνθρώπων ἐν Βαβυλῶνι, καταπαύσαντος τὴν ἀκμὴν τῆς τύχης, ἀνεκαλέσαντο διὰ ψηφίσματος οἱ Ἀθηναῖοι τὸν Δημοσθένην ὁμολογήσαντες, ὅτι αὐτοῦ κατέγνωσαν Ἀλεξάνδρου (φόβῳ). Terminus vero, ante quem epistula scripta sit, paragrapho 8 constituitur, ubi haec leguntur: ἐπειδήπερ οἱ θεοὶ καλῶς ποιοῦντες σώσαντες τὴν πόλιν ἀποδεδώκασιν ὑμῖν ὅ τι ἂν βούλησθε ἐξ ἀρχῆς βουλεύσασθαι; quocum conferas ea, quae § 2 tradita sunt: τὸν δὲ παρόντα καιρὸν ὁρῶν — σωτηρίαν καὶ ἐλευθερίαν δυνάμενον κτήσασθαι οὐ μόνον ὑμῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν Ἕλλησιν. Atqui notum est Athenienses post Alexandri regis mortem Macedonum iugum exuere conatos esse, donec proelio apud Crannonem commisso eorum spes exstinguerentur. Itaque ante hanc pugnam epistulam scriptam esse apparet.

Ut ad ea, quae hac epistula continentur, transeamus, primum quidem habemus quattuor exordia quartam partem totius epistulae explentia. Primum autem exordium, quod solemnem habet invocationem deorum, legens quis non prooemii orationis de cor. hab. recordatur? Nulla est dubitatio, quin recte Dobraeus ad nostrum locum annotaverit: „Impudentur sublegit (sc. auctor epistulae) a De Coro. initio." Partim etiam exordium nostrum cum uno ex Demosthenicis quae feruntur prooemiis congruit. Campara haec:

ep. I, 1	prooem. 25
εὔχομαι δὴ τοῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις, ὅ τι τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων ἄριστόν ἐστι καὶ τοῖς εὐνοοῦσι τῷ δήμῳ καὶ νῦν καὶ ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον, τοῦτ' ἐμοὶ μὲν ἐπὶ νοῦν ἐλθεῖν γράψαι, τοῖς δ' ἐκκλησιάσασιν Ἀθηναίων ἑλέσθαι.	εὔχομαι δὲ τοῖς θεοῖς ἃ καὶ τῇ πόλει κἀμοὶ συμφέρειν μέλλει, ταῦτ' ἐμοί τε εἰπεῖν ἐλθεῖν ἐπὶ νοῦν καὶ ὑμῖν ἑλέσθαι.

Quamquam etiam Lycurgi oratio in Leocratem habita a similibus verbis incipit, tamen graeci quidem oratores ab invocatis numinibus orationes incohare non solebant. Quid vero in nostra brevi epistula solemne hoc exordium sibi velit, difficile est intellectu. In secundo prooemio exponit auctor, cur epistulam scripserit. Quod ad tertium exordium attinet, mirum est, quod iam in Isocratis oratione quinta § 25 seq. eiusque prima epistula ad Dionysium missa § 2 et 3 similiter atque in nostra epistula, etiamsi uberius, demonstratur difficilius esse per litteras explicare quid faciendum sit, quam orationibus coram audientibus habitis. Etiam quarti exordii, quo auctor dicit non tam propter oratorum inopiam quam ut declaret, quid ipse homo rerum publicarum pe-

ritus de praesenti rerum condicione sentiat, epistulam se scribere, locus quidam ex Demosthenis oratione prima fluxisse videtur, id quod haec comparatio docet:

ep. I, 4	or. 1,1
τοῖς δὲ πολλοῖς ῥᾳδίαν τὴν τῶν βελτίστων αἵρεσιν καταστῆσαι.	*ὥστ' ἐξ ἁπάντων ῥᾳδίαν τὴν τοῦ συμφέροντος ὑμῖν αἵρεσιν γενέσθαι.*

Ita in exordiis quidem parum novi reperimus. Accedit, quod ea, quae leguntur ep. I, 3: *πολλοῖς γὰρ εἰώθατε ἀπαντᾶν ὑμεῖς πρὸ τοῦ περιμεῖναι μαθεῖν* et paullo infra: *οὐ μὴν ἀλλ' ἐὰν — περιμείνητε πάντα μαθεῖν*, paene congruunt cum or. 16,2: *καὶ ὑμεῖς μὴ περιμένητε μαθεῖν.* Cum his conferendum est etiam octavum (Dem.) prooemium, quod ad verbum cum exordio orationis modo commemoratae convenit. Unum ex altero fluxisse concedemus, si comparaverimus quintum Demosthenicorum illorum prooemiorum: *οἶμαι μετὰ βραχέων λόγων καὶ αὐτὸς ἄν τι λέγειν εἰκότως δόξαι καὶ ὑμῖν τὰ βέλτιστα φαίνεσθαι λέγων* cum nostrae epistulae paragrapho tertia: *οἶμαι — καίπερ βραχέων τῶν γεγραμμένων ὄντων αὐτός τε φανήσεσθαι μετὰ πάσης εὐνοίας τὰ δέοντα περὶ ὑμῶν πράττων καὶ συμφέρονθ' ὑμῖν ἐμφανῆ δείξειν.*

Iam si haec exordia mittimus et rem ipsam quae tractatur contemplamur, intellegimus omnia sine ira et ardore explicari; quod quamquam per se vitium non est, hic tamen ita fit, ut tempora, quibus epistula scripta esse fingitur, parum respiciantur. Ita primum quam utile sit Atheniensibus animos ducum oratorumque aliarum civitatum sibi conciliare, demonstratur, deinde unum consilium, non modo hoc modo illud capi opus esse exponitur. Quid vero Athenienses epistula talia suadente adiuti sint, difficile est intellectu. Iam ab auctore epistulae quae fertur Aeschinis undecimae nostram epistulam non iniuria ut puto derideri videmus; nihil enim facilius esse quam admonere ad concordiam; gravissimam quaestionem esse, quali modo auxilia ad bellum gerendum necessaria colligantur; qua de re nihil in Demosthenis epistula explicatur. Legimus enim (Aesch.) ep. XI, 11 seq.: *φάσκουσι γὰρ δεῖν ὑμᾶς ὁμονοεῖν, ὥσπερ ὑμᾶς οὐκ ἐπισταμένους, ὅτι τοῦτο μὲν πάσῃ πόλει, καὶ πολεμεῖν καὶ εἰρηνεύειν βουλομένῃ, κράτιστόν ἐστιν. δεῖ δὲ οὐ τοῦτο σκοπεῖν, εἰ ὁμονοητέον πολεμοῦσιν· ὁμονοητέον γὰρ καὶ πολεμοῦσι καὶ μὴ παντὸς ἕνεκα· ἀλλ' εἰ βουλομένοις πολεμεῖν καὶ ὁμονοεῖν, ὡς ἴσμεν ἅπαντες, αὐτάρκης ἐστὶν ἡ δύναμις. ἕως δ' ἂν μήτε συστρατείας πολεμοῦντες ἔχωμεν μήτε χρημάτων πόρους δεικνύωσιν* cet. Cum vero Alexandri mores in nostra epistula iisdem paene verbis, quibus alio loco Demosthenes Philippi rationem agendi pinxit, describantur, supra iam iudicavimus vix credibile esse Demosthenem ita et sententiis et verbis eguisse,

ut, quod antea de hoc viro dixisset, idem etiam de illo diceret mutato tantum nomine. Etiam Blassius concedit primam nostram epistulam multis vitiis laborare; tamen eam Demostheni vindicare ita studet, ut epistulam omnino non ad finem perductam esse dicat. Sed ex tota via et ratione, qua haec epistula composita est, colligi posse arbitror Demosthenem minime pro auctore eius habendum esse. In eo autem Blassius me habet assentientem, quod primam epistulam ab eodem auctore conceptam esse putat, a quo secunda tertiaque scriptae sunt.

Addamus pauca de quarta epistula. Nam secunda et tertia et prima epistula a Demosthene abiudicatis facile erit monstrare, quam indigna clarissimi illius oratoris ingenio quarta epistula sit. Haec quoque ad senatum populumque Atheniensium missa esse fingitur. Sed cum tres primae epistulae rem aliquam, de qua senatus populusque decernere solebat, tractent, quarta nihil eiusmodi continetur. In ea enim convicia Theramenis Demostheni infelicitatem exprobrantis ita refelluntur, ut Atheniensium fortunam esse optimam exponatur, pessimos autem esse mores Theramenis. Quo igitur iure haec epistula ad senatum populumque mitti potuerit, plane non intellegitur. Ad tempus, quo epistula scripta sit, constituendum fere nihil inest praeter haec verba, quae Demosthenem exsulem esse demonstrant: *τούτῳ μὲν οὖν, ἐὰν ἀφίκωμαί ποτε καὶ σωθῶ* cet. (§ 2). Item inter complures gentes, quarum sorte Atheniensium fortuna melior sit, Cappadoces et Syri et qui Indiam habitent enumerantur (§ 7): quod nonne ad illud tempus quadrat, quo Alexandri regis expeditione usque ad Indiam suscepta memoria ignotorum illorum populorum paullum renovata erat? Itaque auctor harum rerum non ignarum se praebet. Quod autem ad rem attinet, Demostheni saepissime infelicitatem praecipue ab Aeschine obiectam esse notum est, quod probrum Demosthenes in or. de cor. hab. reicere studet. Etiam in illa Dinarchi quae fertur oratione eius infelicitas commemoratur (I, 77: *δεῖ — μὴ μὰ Δία τὸν πλείω χρόνον τῆς Δημοσθένους δωροδοκίας καὶ ἀτυχίας κοινωνεῖν*, paulloque infra: *τὸν εἰς τὰς δεινοτάτας ἀτυχίας ἐμβεβληκότα τὴν πόλιν*). G. H. Schaefer quidem nostram epistulam genuinam esse iudicat. Dicit enim haec: „Quod probrum haec epistula repellit facundia sane Demosthenica.“ Sed videamus, qui hoc fiat. Primum dicit auctor deos ipsos testari, quam bona sorte Athenienses fruantur: in quo locum ex oratione de cor. hab. in suum usum convertit. Compara enim haec:

ep. IV, 3	or. 18,253
ἐγὼ τὴν πόλιν τὴν ὑμετέραν εὐτυχεστάτην πασῶν πόλεων ὑπολαμβάνω καὶ θεοφιλεστάτην, καὶ ταῦτα	*ἐγὼ τὴν τῆς πόλεως τύχην ἀγαθὴν ἡγοῦμαι, καὶ ταῦθ' ὁρῶ καὶ τὸν Δία τὸν Δωδω-*

οἶδα καὶ τὸν Δία τὸν Δωδωναῖον καὶ τὴν Διώνην καὶ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον ἀεὶ λέγοντας ἐν ταῖς μαντείαις.	*ναῖον ὑμῖν μαντευόμενον, τὴν μέντοι τῶν πάντων ἀνθρώπων, ἣ νῦν ἐπέχει, χαλεπὴν καὶ δεινήν.*

A Demosthene ipso hunc locum in epistulam translatum non esse facile intellegitur. Neque enim auctori nostro sufficit nominare *τὸν Δία τὸν Δωδωναῖον*, sed etiam addit: *καὶ τὴν Διώνην καὶ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον*, quam cumulationem a Demosthene consulto vitatam esse Westermannus suspicatur, qui ad illum or. de cor. hab. locum (p. 139 quintae ed.) annotat: „Der Redner wird seinen Grund gehabt haben, warum er neben dem dodonäischen Zeus nicht auch den pythischen Apollon nannte (obwohl der Vf. des 4. Briefs dies thut und auch hier minder gute Mss. *καὶ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον* hinzufügen), sei es dass man den Sprüchen des uralten Orakels zu Dodona in Epeiros ein grösseres Gewicht beilegte, oder dass D. die Berufung auf das delphische vermeidet, weil er eben bei jenen zuletzt geschilderten Ereignissen, wie Aesch. 3,130 behauptet, der Pythia Schuld gegeben, sie spiele mit Ph. unter einer Decke". Etiam haec epistulae locutio: *τὴν δ' ἄδικον βλασφημίαν (οἱ θεοὶ) εἰς κεφαλὴν τῷ λέγοντι τρέπουσι* (§ 10) ex or. de cor. hab. fluxisse mihi videtur, ubi § 290 legitur: *τί οὖν, ὦ κατάρατ', ἐμοὶ περὶ τούτων λοιδορεῖ καὶ λέγεις, ἃ σοὶ καὶ τοῖς σοῖς οἱ θεοὶ τρέψειαν εἰς κεφαλήν;* Deinde doctrinam suam ostentare auctor studet, quod, ut iam commemoravimus, praeter Lacedaemones et Medos, quorum fortuna peior sit Atheniensium sorte, etiam Cappadoces et Syros et qui Indiam habitant, enumerat; ita cumulat nomina populorum, praeter eorum autem nomina nihil habet, quod adiciat. Accedunt denique improba illa convicia, quibus auctor Theramenem, virum nobis plane ignotum, quam acerrime impugnat: *τὸν γὰρ θρασὺν μὲν τῷ βίῳ, μὴ πολίτην δὲ τὴν φύσιν, ἐν ἐργαστηρίῳ δὲ τεθραμμένον ἐκ παιδὸς* (§ 1) — *περὶ ὧν εἰς ὑμᾶς παροινεῖ* (§ 2) — *θρασὺν καὶ ἀναιδῆ καὶ οὐδὲ νοῦν ἔχοντ' ἄνθρωπον* (§ 4) — *ἐχθρὸς μέν ἐστι τοῖς γονεῦσι, φίλος δὲ Πανσανίᾳ τῷ πόρνῳ· καὶ θρασύνεται μὲν ὡς ἀνήρ, πάσχει δ' ὡς γυνή* cet (§ 11). Num credamus Demosthenem contra Theramenis probra ita se defendisse, ut tot et tanta convicia ipse in eum congereret? Ne Blassius quidem talem epistulam Demostheni addicere audet.

De sexta epistula paucissimis defungi licet: qua Demosthenes ad senatum populumque Atheniensium scribit se hominem aliquem, qui pugnae interfuerit, mittere, ut civibus ea, quae evenissent, nuntiaret eorumque animos sedaret. Non errabimus, si pugnam apud Crannonem commissam, in qua Antipater, qui etiam in epistula commemoratur, vicerat, intellegendam esse suspicabimur.

Sermo nullam fere praebet offensionem; ut vero hoc statim addam, illam locutionem, quae est εἰς κεφαλὴν αὐτῶν τρέψειαν οἱ θεοί (§ 1), etiam in quarta epistula (§ 10) repperimus. Tamen epistula sexta est brevior, quam ut certum iudicium de eius auctoritate ferre possimus.

Reliquum est, ut de epistularum sermone disseramus; quo facto non minus quam ex iis, quae adhuc protulimus, intellegi posse existimo epistulas vix posse Demostheni vindicari. In universum autem constat in epistulis maiorem quandam dicendi libertatem quam in orationibus permissam esse. Ita ne Isocrates quidem, qui in orationibus hiatum fere omnimo fugit, in epistulis in vitando hiatu tam diligentem se praebet. Quae cum ita sint, de elocutione nostrarum epistularum haud ita severe iudicabimus. Tamen in iis multa inesse puto, quae ne maiore illa quidem libertate dicendi excusari possint. Concedendum sane erit colorem in universum esse Demosthenicum. Sed permultas voces et locutiones enumerabimus, quae a Demosthenis more dicendi plane alienae sunt. Rem autem ita instituamus, ut primum de delectu et structura singulorum vocabulorum, deinde de sermonis ornatu et figuris, tum de compositione sententiarum disputemus.[1])

Ordiamur igitur a delectu et structura singulorum vocabulorum.

Verba quidem, quae aut a Demosthene omnino non, aut raro adhibita sunt, aut quae singulari modo usurpantur, enumero haec:

ἀβουλεῖν, ep. II, 17 ἔτι δ' οὐδ' ὑμᾶς ἐνόμιζον ἀβουλεῖν ἔξω με προπηλακισμοῦ γενέσθαι. Verbum ἀβουλεῖν apud Demosthenem non legitur, legitur apud Platonem, posteris temporibus apud Cassium Dionem aliosque scriptores.

ἀγάλλειν, ep. IV, 11 τούτοις τὴν διάνοιαν ἀγάλλεται; quod

---

1) Ad hanc partem commentationis conferas praeter alios Rehdantzium in indicibus ad Demosthenis novem orationes Philippicas, Siggium in annalibus philologicis (suppl. VI, p. 417 seq.), Blassium in libro l. Die att. Beredts. III, 1, p. 92 seq., Schulzium in dissertatione, cui inscribitur: prolegomenon in Dem. quae fertur orat. adv. Apaturium capita duo, Lipsiae 1878, p. 73 seq., Schwebschium in dissertatione, quae est de oratione quae contra Leocharem a Dem. scripta fertur, Berolini 1878, p. 63 seq., Windelium in dissertatione, qua agitur de oratione quae est inter Demosthenicas XVII (in progr. schol. Thom., Lipsiae 1882) p. 16 seq., Uhlium in dissertatione, cui inscribitur: quaestiones de orationum Demostheni falso addictarum scriptoribus, partic. prima, Lips. 1883, p. 55 seq. et in commentatione de prooemiorum collectionis quae Demosthenis nomine fertur origine (in progr. gymnasii qu. d. realis Chemnitiensis 1885), p. 6 seq.

verbum invenitur apud poetas, Herodotum, Thucydidem, Platonem, Xenophontem, non apud Demosthenem.

ἀκονᾶν, ep. II, 11 *οὐδ' ἐφ' ἑαυτὴν ἀκονῶν τὴν πόλιν*, qui locus in *συναγωγὴ λέξεων χρησίμων* cet. in Bekkeri anecdot. laudatur (vid. supra p. 25). Comparandus est solus locus supposititiae (Dem.) orationis 25,46 *τί τοῦτον, ὦ μάταιε, ἀκονᾷς;* Confer (Demadis) or. *ὑπὲρ τῆς δωδεκαετίας* § 17 (pag. 180,30): *θυμοὺς ἐπ' ἐλπίδι τῆς ἐλευθερίας ἠκόνησαν.*

ἀναδύεσθαι, ep. I, 14 *ὅπως μὴ — ἀναδύσεται.* Rarius hoc vocabulum a Demosthene usurpatum est. Inveni hos locos: or. 8,50 *ποῖ ἀναδυόμεθα;* (= or. (10),26), or. 8,77 *ἐὰν δὲ δέῃ τι ποιεῖν ἀναδυόμενοι*, or. 19,210 *ἡ διάνοια — ἀνεδύετο.*

ἀναπληροῦν, ep. I, 10 *τὴν ἰδίαν ὀργὴν ἀναπληρῶν* et § 15 *τὴν ἔνδειαν — οὐχ εὑρήσετε τοὺς ἀναπληρώσοντας.* Bis Demosthenes hoc verbo usus est in his locutionibus: or. 14,16 *τοὺς διακοσίους καὶ χιλίους ἀναπληρῶσαί φημι χρῆναι καὶ ποιῆσαι δισχιλίους* et or. 27,13 *ἕως ἀνεπληρώσατο τὴν προῖκα;* semel *ἀνταναπληροῦντας* legitur, or. 14,17.

ἀναρτᾶν, ep. III, 23 *τοῖς δ' εἰς τὸν δῆμον ἀναρτήσασιν ἑαυτούς.* Hanc vocem semel or. 19,18 legi: *μηδ' ἀναρτωμένους ἐλπίσιν ἐξ ἐλπίδων.* Alia composita his locis reperiuntur, or. 4,12 *ἀπηρτημένοι*, or. 18,59 *ἀπαρτᾶν τὸν λόγον τῆς γραφῆς*, § 324 *ἀπαλλαγὴν τῶν ἐπηρτημένων φόβων*, or. 23,140 *τοσοῦτος ἐπήρτηται φόβος.* Verbum simplex et in Demosthenicorum quae feruntur prooemiorum 41 *ἡ — ἀρχὴ — ἤρτηται ἐκ τοῦ — δημηγορεῖν* et in or. (60),26 *τὴν παρρησίαν ἐκ τῆς ἀληθείας ἠρτημένην* traditum est.

ἀνταλλάττειν, ep. II, 6 *οὐδ' ἀντηλλαξάμην ἀντὶ ταύτης* (scil. *τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας*) *οὐδὲν, οὐ χάριν* cet. Iis locis, quibus apud Demosthenem verbum *ἀνταλλάττειν* exstat, semel tantum praepositionem *ἀντί* repetitam esse videmus ita quidem, ut *ἀντί* cum hominibus, non cum re aliqua, ut nostro loco, sit coniunctum, or. 16,5 *ἀνταλλάξασθαι βουλοίμεθ' ἀντιπάλους Λακεδαιμονίους ἀντὶ Θηβαίων;* ceteris locis ex verbo *ἀνταλλάττειν* pendet genitivus praepositione illa omissa. Locus autem, qui nostri est simillimus, hic est, or. 6,10 *μηδ' ἀνταλλάξασθαι μηδεμιᾶς χάριτος μηδ' ὠφελείας τὴν εἰς τοὺς Ἕλληνας εὔνοιαν;* praeterea compares or. 18,138 *τῆς ἐπὶ ταῖς λοιδορίαις ἡδονῆς καὶ χάριτος τὸ τῆς πόλεως συμφέρον ἀνταλλαττόμενοι* et or. 19,223 *οὐκ ἀνταλλακτέον εἶναί μοι τὴν πρὸς ὑμᾶς φιλοτιμίαν οὐδενὸς κέρδους.*

ἀσχημονεῖν, ep. III, 40 *ὥστε μηδὲν ἀσχημονεῖν τὸ λοιπὸν τοῦ βίου.* Hoc verbum semel a Demosthene ipso adhibitum est, or. 22,53 *ἄλλα ἀσχημονοίη;* deinde or. (60),25 *κἂν τὰ δεινότατα ἀσχημονήσῃ* legitur. Confer Aesch. or. 2,151 *τίς αὐτὸν εἶδε πώποτε ἀσχημονήσαντα;*

διαλυμαίνεσθαι, ep. I, 12 *τὰ γὰρ ὀρθῶς βουλευθέντα — διελυμάνθη*. Apud Demosthenem hoc compositum non invenitur, cum verbum simplex saepissime usurpatum sit.

διαφυλάττειν, ep. III, 15 *τοῖς παισὶ τὴν ἔχθραν διαφυλάξουσιν*. Apud Demosthenem ipsum hoc verbum non legitur nisi or. 18,321 *ἐν μὲν ταῖς ἐξουσίαις τὴν τοῦ γενναίου καὶ τοῦ πρωτείου τῇ πόλει προαίρεσιν διαφυλάττειν;* deinde eadem vox tradita est or. 18,78 in Philippi regis epistula *πειράσομαι κἀγὼ διαφυλάττειν τὴν εἰρήνην*, or. (17),24 *τὸ δίκαιον οὐ δικαίως διαφυλάττειν*, or. (26),10 *καὶ ταῦτα πάντα οὕτω διαφυλάττουσιν*, or. (34),52 *ἐὰν διαφυλάττητε τοὺς τὰ ἑαυτῶν προϊεμένους*.

διδόναι πεῖραν, ep. II, 15 *τὸ γὰρ μηδὲν ἐμαυτῷ συνειδέναι πεῖράν μοι δέδωκεν εἰς μὲν ὠφέλειαν ἀσθενὲς ὄν, εἰς δὲ τὸ μᾶλλον λυπεῖσθαι πάντων ὀδυνηρότατον*. Quinque locis vere Demosthenicis eandem locutionem invenimus, tamen alio modo structam. Nostro enim loco *τὸ συνειδέναι* est subiectum et *πεῖραν δέδωκεν* ut verbum videndi cognoscendique coniunctum est cum participio: *τὸ συνειδέναι — πεῖραν δέδωκεν — ἀσθενὲς ὄν*. Absolute locutio illa usurpata est or. 18,107 *τῷ πεῖραν ἔργῳ δεδωκέναι* similiterque § 195 *ἅ γε μηδὲ πεῖραν* (sic. cod. Σ) *ἔδωκε θεῶν τινος εὐνοίᾳ*. Tribus autem locis locutionem illam coniunctio quae est *ὅτι* sequitur, or. 16,29 *ἔργῳ πεῖραν ἡμῖν δεδωκότος τοῦ χρόνου, ὅτι Θηβαῖοι μὲν τούτοις συμμάχοις ἐπὶ Λακεδαιμονίους ἀεὶ χρῶνται*, or. 24,24 *οἱ νόμοι — πεῖραν αὐτῶν πολλάκις δεδώκασιν, ὅτι συμφέροντες ὑμῖν εἰσι* (non *συμφέροντες ὄντες*), or. 36,43 *Πασίων — πεῖραν δοὺς, ὅτι χρηστός ἐστι καὶ δίκαιος*. Tum in prooem. (17) legimus haec: *τοὺς δὲ μήπω τούτου δεδωκότας πεῖραν μᾶλλον, ὅπως — ἢ πῶς*.

ἐγκαταλείπειν, ep. III, 36 *τοῦ μηδένα τῶν φίλων ἐγκαταλείπειν*. Hoc verbum, quo etiam Aeschines aliique oratores usi sunt, in Demosthenis orationibus genuinis ter invenitur, or. 19,151, or. 57, 58, 61; saepius autem in dubiis aut non Demosthenicis orationibus, or. (10),33, or. (11),22, or. (58),4, et in or. (44) duodevicies § 21, 22bis, 23, 24, 29, 33, 44bis, 46, 47bis, 48, 61, 63, 64bis, 68.

ἐπέρχεταί μοι, ep. II, 7 *ἐφ' οἷς εἰκότως ἐπέρχεταί μοι παρρησιάζεσθαι* et ep. I, 4 *ἐπῆλθέ μοι τὴν ἐπιστολὴν γράφειν*. Quae formula iuncta cum infinitivo saepius apud Demosthenem exstat, or. 1, 1 *ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἐνίοις ἂν ἐπελθεῖν εἰπεῖν* (idem prooem. 3 legitur), or. 9, 54 *ἔμοιγ' ἐπελήλυθε καὶ τοῦτο φοβεῖσθαι;* or. 14, 29, or. 16, 18, or. 20, 52, or. 23, 5, — or. (13), 25, or. (43), 2. Confer etiam or. 24, 121 *τὴν ὕβριν καὶ τὴν ὑπερηφανίαν ἐπελθεῖν Ἀνδροτίωνι*.

ἐρανίζειν. Structum est cum accusativo ep. III, 38 *τοὺς*

φίλους ἐρανίσας, i. e. collationem ab amicis exigens; quem locum Harpocratio s. v. *ἐρανίζοντες· Δημοσθένης ἐν τῇ περὶ τῶν Λυκούργου παίδων ἐπιστολῇ ἐρανίσας εἶπεν ἀντὶ τοῦ ἔρανον αἰτήσας* et Photius (vide supra p. 11) et etymologicum magnum p. 369,36 s. v. *ἐρανίσας· Δημοσθένης ἀντὶ τοῦ ἔρανον αἰτήσας ἢ λαβὼν καὶ συλλέξας παρά τινων* interpretantur. Apud Demosthenem hoc verbum semel invenimus et quidem alio sensu et cum dativo coniunctum, ut sit non stipem exigere, sed stipem alicui conferre, or. 39,18 *ἐφ' οἷς ἐρανίζει τούτοις τοῖς περὶ αὐτόν*. Cum accusativo structum invenitur hoc verbum apud Platonem, Aeschinem *κατ. Κτησ.* § 45 *ἵνα μηδεὶς ἐρανίζων στεφάνους καὶ κηρύγματα ψευδῆ φιλοτιμίαν κτᾶται.*

ἐργολαβεῖν, ep. III, 34 *ὧν ὑπερβολῇ χρώμενοί τινες ἐργολαβοῦσι καθ' ὑμῶν.* Conferas or. 22,49 *δι' ὧν ἠργολάβει*, qui locus etiam in or. 24,161 transiit, — or. (25),47, or. (32),11, or. (58),6. Ceterum et Bekkeri Antiatticista qui vocatur et Suidas et etymologicum magnum vocem quae est *ἐργολάβος* in nostris epistulis inesse dicunt (v. supra p. 10 seq.), neque vero adiectivum, sed verbum inest.

ὀδύρεσθαι. Hoc vocabulum ter in epistula secunda adhibitum est, atque bis quidem absolute positum, § 25 *μηδεὶς — ἡγείσθω με — παρ' ὅλην τὴν ἐπιστολὴν ὀδύρεσθαι* iterumque paullo infra: *ἃ πάντα ποιεῖ με ὀδύρεσθαι*, semel cum obiecto coniunctum, § 13 *ἀπορῶ, τί πρῶτον ὀδύρωμαι.* Hac voce, quam apud Demosthenem or. 21,186 inveni, poetae et Plato saepissime usi sunt.

παρίσταταί μοι, ep. III, 36 *εἰ δέ τῳ παρέστηκεν, ὡς πολύ μοι περίεστι.* Quam formulam apud Demosthenem cum infinitivo quidem coniunctam his locis reperies, or. 3,1 *οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν* (= prooem. 2), or. 6,6 *δι' οὓς τἀναντί' ἐμοὶ παρέστηκε προσδοκᾶν*, — or. (13),25 *ταῖς μὲν ἐφ' αὑτοῖς παρειστήκει μέγα φρονεῖν*, or. (61),10 *παρίστατaί μοι δεῖσθαι.*

περιπίπτειν, ep. II, 14 *τῇ πρὸς ἅπαντας τοὺς ἐν ταῖς αὑταῖς ὀργῇ περιπέπτωκα;* ad quem locum comparetur or. 6,34 *τῇ παρ' ὑμῶν ὀργῇ περιπεσεῖν συμβῇ.*

πικραίνεσθαι; quod verbum in Demosthenis scriptis non exstat nisi ep. I, 6 *μηδενὶ μήτε πικραίνεσθαι μήτε μνησικακεῖν.*

πορίζειν, ep. III, 39 *ἐμαυτῷ δὲ λύσιν τῆς γεγονυίας οὐ δικαίως βλασφημίας πορίσασθαι.* Locutio quae est *λύσιν πορίζεσθαι* apud Demosthenem non est usitata. Saepius legimus hanc: *παρασκευὴν πορίζειν*, or. 4,15, or. 14,2 (= prooem. 7), or. 21,11, prooem. (21); nonnumquam etiam *χρήματα πορίζειν*, ut or. 4,33, or. 8,10, or. 14,27, or. (53),12; *τροφήν, δύναμιν, πόρον, μισθὸν πορίζειν* his locis invenimus, or. 4, 19, 20, 23, 25, or. 8,47 (= or. (10),22), or. 39,17, or. (26),17, prooem. (21); *λόγους πορίζεσθαι*

or. 18,127, or. (35),41, similiterque or. (56),49 (*προφάσεις*); *πορίζεσθαι τοὺς ἐγγυησομένους* legimus or. 24,46, similiterque § 85 et or. (44),3 (*τοὺς μαρτυρήσαντας*); de pecuniis hoc verbum adhibitum est or. (33),7, or. (47),49, 50, 51, 66, 77, or. (49),40 *τὸ ναῦλον*, or. (53),12, or. (58),33. Substantivum quod est *λύσις* cum his verbis iungitur: *εὑρίσκειν* or. 24,10, *διδόναι* or. 24,38; cf. etiam or. 37, 5, 58 (*λύσις τέτακται*). In epistulis *λύσις* vox exstat ep. III, 23 *ῥᾳδίας εἶναι τὰς λύσεις, κἂν ἀτυχήσωσί τι* et comparandus hic quoque locus est: *ἀπόλυσις γίγνεται*, ep. III, 18.

προπίνειν, ep. I, 10 *ἀδίκως καὶ στασιαστικῶς εἰς τὴν ἑτέρων χάριν προποθείς*. Hoc verbo fere idem significatur, quod alias verbo *προδοθείς*. Bene vero epistulae scriptor in usu vocis illius Demosthenem imitatus est, qui hoc verbum etiamsi aliter structum magna cum vi adhibuit. Confer enim or. 3,22 *προπέποται τῆς παραυτίκα χάριτος τὰ τῆς πόλεως πράγματα*, or. 18,296 *τὴν ἐλευθερίαν προπεπωκότες πρότερον μὲν Φιλίππῳ, νῦν δ' Ἀλεξάνδρῳ*; comparetur etiam or. 19,128 *συνεπαιάνιζε Φιλίππῳ καὶ φιλοτησίας προὔπινεν* et § 139 *τελευτῶν ἐκπώματ' ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ προὔπινεν αὐτοῖς*.

προσδοκᾶν, ep. II, 5 *ἐμοὶ δ' ἐλπίδα τῶν μεγίστων δωρεῶν προσδοκᾶσθαι παρ' ὑμῶν*, ad quem locum Reiskius recte annotat: „Dura dictio et insolens. Alius dixisset *παρίστασθαι* aut *προδείκνυσθαι*.“ Apud Demosthenem hanc locutionem frustra quaeres. Comparandi sunt hi loci, or. 19,333 *παραστήσαντα ἐλπίδας*, § 240 *τὰς ἀγαθὰς ἐλπίδας — περιποιήσασθαι*, or. 18,97 *τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα*, or. 23,126 *ὅταν ποτὲ μείζονος πλεονεξίας ἑτέρωθεν ἐλπίδα ἴδωσιν*; saepius invenitur *ἐλπίδα* vel *ἐλπίδας ἔχειν*, ut or. 15,2, or. 57,2, — or. (13),3, or. (25),5, or. (32),12, or. (33),28, prooem. (27); cf. etiam ep. I, 1; *ἐλπίς ἐστιν* or. (32), 31, or. (58),1, or. (59),57; *τὰς ἐλπίδας ὑμῖν ὑποτείνων* or. (13),19.

προσεπισφραγίζεσθαι, ep. IV, 3 *οἶδα καὶ τὸν Δία τὸν Δωδωναῖον καὶ τὴν Διώνην καὶ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον — προσεπισφραγιζομένους τὴν ἀγαθὴν τύχην ἐν τῇ πόλει εἶναι παρ' ὑμῖν*, i. e. insuper sigillo comprobantes, quod verbum, quantum scio, praeter nostrum locum non reperitur nisi posteris temporibus apud Aristidem rhetorem, imitatorem illum Demosthenis, et Sextum Empiricum.

τιθέναι εἰς μέσον, ep. I, 2 *ᾠήθην χρῆναι τὴν ἐμαυτοῦ γνώμην ὡς ἔχω περὶ τούτων εἰς μέσον θεῖναι*. Similes locutiones apud Demosthenem hae occurrunt, or. 4,5 *ἆθλα τοῦ πολέμου κείμεν' ἐν μέσῳ*, or. 6,14 *ἐν μέσῳ ληφθείς*, or. 20,102 *εἰς τὸ μέσον καταθείς*, or. 23,183 *οὐδὲν ἂν ἦν ἐν μέσῳ πολεμεῖν ἡμᾶς πρὸς Καρδιανούς*, or. 36,47 *ἄγεις εἰς μέσον*, or. 45,16 *ἄγειν εἰς μέσον*, § 84 *ἄνελεν οὖν ἐκ μέσου μοι Πασικλέα*, — or. (7),31 *ἐν*

μέσῳ κεῖσθαι, or. (10),36 *εἰ ἀνέλοιμεν ἐκ μέσου — τὰς βλασφημίας.*

τρέπειν εἰς κεφαλήν, ep. IV, 10 *οἱ θεοὶ — τὴν — ἄδικον βλασφημίαν εἰς κεφαλὴν τῷ λέγοντι τρέπουσι* et ep. VI, 1 *οἵων εἰς κεφαλὴν αὐτῶν τρέψειαν οἱ θεοί.* Cum priore loco iam supra or. 18,290 comparavimus: *λοιδορεῖ καὶ λέγεις, ἃ σοὶ καὶ τοῖς σοῖς οἱ θεοὶ τρέψειαν εἰς κεφαλήν.* Accedunt alii similes loci, ut or. 19,130 *ἃ νῦν εἰς κεφαλὴν ὑμᾶς αὐτῷ δεῖ τρέψαι*, or. 18,294 *οἷς ἂν — ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἀναθεῖεν ἅπαντες;* omisso substantivo quod est *κεφαλή* legimus or. 8,57 *τὴν ὀργὴν — εἰς τοὺς — λέγοντας — τρέψαι βούλονται*, or. 9,14 *φιλονεικίαν ἐφ᾽ αὐτὸν προείποι τρέπεσθαι*, or. 23,194 *εἰς ἀθυμίαν πρέψομεν*, or. 54,16 *εἰς Κόνωνα — ἅπαντα τρέπεσθαι*, prooem. (31) *τὴν πρὸς αὐτοὺς φιλονεικίαν ἐπὶ τοὺς τῆς πόλεως ἐχθροὺς τρέψαντες.*

Deinde substantiva, quae a copia Demosthenis aliena sunt aut rarissime adhibentur, in epistulis insunt haec:

αἰσχρορρημοσύνη, ep. IV, 11 *τούτοις τὴν διάνοιαν ἀγάλλεται, αἰσχρορρημοσύνῃ.* Pollux commemorat hoc substantivum apud Demosthenem legi (v. supra p. 10). Praeter nostrum locum non invenitur.

δυστυχία, ep. IV, 1 *δυστυχίαν προφέρειν.* Hoc substantivum, quod apud poetas, apud Thucydidem, Platonem, Lysiam (or. 29,10 et or. 31,11) reperitur, in Demosthenicarum orationum corpore non inveni. Adiectivum *δυστυχής* legitur or. 14,32 *τίς οὖν οὕτως δυστυχής ἐστιν* et § 34 *δυστυχεῖς Θηβαίους.*

ἐπίνοια, ep. I, 1 *τῆς ἀγαθῆς ἐπινοίας ἐλπίδα ἔχων.* Etiam hoc substantivum usitatum apud poetas, Platonem, Xenophontem, a Demosthenis copia verborum alienum fuisse videtur.

ἐπίχειρον, ep. III, 38 *καὶ μὴ γῆρας καὶ φυγὴν ἐπίχειρα τῶν ὑπὲρ ὑμῶν πεπονημένων ἔχων.* Alias haec vox apud Demosthenem non exstat; inveniuntur autem alia composita, imprimis *πρόχειρον*, ut or. 20,112 *πρόχειρος λόγος*, § 86 *οὕτω προχείρως ἔχειν*, or. 22,51 *τοῦτ᾽ ἂν εὕροιτε προχειρότατον*, qui locus etiam in or. 24,163 transiit, or. 23,111 *ὃ μάλιστα πρόχειρον ἔχω, τοῦτ᾽ ἐρῶ*, § 113 *οὐ γὰρ δὲ λόγον γε τὸ πρᾶγμα οὑτωσὶ πρόχειρον ἔχει*, or. 24, 1, or. (26),7 (*προχείρως*), or. (60),12, deinde etiam *ὑποχείριος* or. 23,175, tum *αὐτόχειρ* or. 21, 60, 106, 116. Apud Antiphontem quidem or. 1,20 leguntur haec: *ἡ μὲν διακονήσασα καὶ χειρουργήσασα ἔχει τὰ ἐπίχειρα, ὧν ἄξια ἦν.*

εὐδοξία, ep. II, 3 *ὑμῖν — μέλοι τῆς ἐμῆς σωτηρίας — τῆς παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ἕνεκ᾽ εὐδοξίας* et ep. III, 9 *εἰς τοὺς παῖδας καὶ τὴν εὐδοξίαν.* Apud Demosthenem hoc substantivum legi or. 18,8 et 322, praeterea or. (60),2, 36, 37 et or. (61),21. Verbum quod est *εὐδοξεῖν* invenies or. 20,142 *ἡ πόλις εὐδοξεῖ* et or. 8,20.

ἧττα, ep. III, 45 ἡ γὰρ ἐν τοῖς τοιούτοις ἧττα καλὴ καὶ προσήκουσα νίκη παρὰ τοῖς εὖ φρονοῦσι κρίνεται et ep. I, 15 ἡ περὶ τούτων μετάγνωσις ἧττα τῆς προαιρέσεως γίγνεται. Reperitur substantivum ἧττα his locis, or. 18,244, — or. (13),24, or. (60),9, prooem. (39). Saepius illo substantivo poetae, Plato, Lysias, Aeschines (or. 3,111) usi sunt. Adiectivum quod est ἀήττητος semel apud Demosthenem repperi, or. 18,247.

θεός. Hoc loco commemorem locutionem quae est ep. I, 3 ὡς σὺν θεοῖς εἰρῆσθαι. Cuius simillima inserta est orationi alicui Demostheni vix vindicandae, or. (29),1: σὺν θεοῖς εἰπεῖν[1]). Similes locutiones sunt: ὡς ἔπος εἰπεῖν or. 6,1, or. 9,47, or. 18,4, or. 19,264, or. 20,140, or. 24, 38, 212, or. (61),1; ὡς εἰπεῖν or. 19,190, or. 38,6; ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν or. 15,1 = prooem. 27[2]), or. 20,124, or. (11),2; ὡς εἰπεῖν ἐν κεφαλαίῳ or. (32),13, or. (40),35.

πάροδος, ep. III, 29 οὐδὲ τὸν Πυθέαν παραλείψω τὸν μέχρι τῆς παρόδου δημοτικόν; quo loco substantivum illud singulari modo de oratore, qui primum ad populum prodit, adhibitum est. Cum vero Aristoteles et Pollux et alii hac voce simili sensu de choro utantur, apud Demosthenem πάροδος significat „transitum" (Thermopylarum quidem saltus), or. 5,20 et 22, or. 9,11 et (32); itemque apud Lysiam or. 2,30 et apud Hyperidem IV, 5, 23 (Blassii editionis alterius).

ἐκ τοῦ περιόντος, ep. III, 36 οὔκουν ἐκ τοῦ περιόντος ταῦτα ποιῶ, i. e. ex mera insolentia et protervia. Nullo alio loco in Demosthenis operibus hanc locutionem reperias. Invenitur τὸ περιόν, ut sit „quod reliquum est; pecunia, quae restat", or. 27,36 et or. 31,7. Simile vero aliquid atque ἐκ τοῦ περιόντος apud Demosthenem locutio quae est ἐκ περιουσίας duobus his locis significat, or. 18,3 οὗτος δ' ἐκ περιουσίας μοι κατηγορεῖ et or. 45,67 οἱ δ' ἐκ περιουσίας, ὥσπερ οὗτος, πονηροί (et τοὺς φανερῶς οὕτως ἐξ εὐπορίας πονηρούς).

ὁ Πέρσης, rex Persarum: ep. II, 18 ὅτε ὁ πρὸς τὸν Πέρσην κατελάμβανεν αὐτοὺς κίνδυνος. Apud Demosthenem ipsum rex Persarum aut ὁ βασιλεύς vel omisso articulo βασιλεύς, ut saepissime in oratione quarta decima, § 2, 3, 6, 9, 12, 27, 28, 37, 38, 41, or. 15, 7, 8 ceteris locis, aut ut or. 18,202, or. 23,200 cet. ὁ Περσῶν βασιλεύς nominatur. In epistula vero Philippi, quae inter orationes Demosthenicas duodecimum locum obtinet, bis ὁ Πέρσης (§ 6 et 7) legitur. Pariterque Lycurgus (κατὰ Λεωκρ.

---

1) Cf. Schaffneri dissertationem quae est de tertia adv. Aphobum oratione vulgo Demosthenis nomini addicta, Lipsiae 1876, pag. 35.

2) Cf. Uhlium in progr. l. pag. 6.

§ 128: *τῷ Πέρσῃ*) et Aeschines, postquam paullo ante *ὁ μὲν τῶν Περσῶν βασιλεὺς* (*κατ. Κτησ.* § 132) dixit, eadem paragrapho *τῆς ἐπὶ τὸν Πέρσην ἡγεμονίας* scribit, quod etiam § 181 et *περὶ παραπρεσβ.* § 74 et 172 fit. Auctori autem epistularum Aeschini falso adsciptarum dicere placet *καὶ πρὸς τὸν ἐν Πέρσαις ἄπειμι καὶ Μήδοις βασιλέα*, ep. 11,3.

προπηλακισμός, ep. II, 17 *ἔτι δ' οὐδ' ὑμᾶς ἐνόμιζον ἀβουλεῖν ἔξω με προπηλακισμοῦ γενέσθαι.* Cum verbum quod est *προπηλακίζειν* a Demosthene persaepe adhibitum sit, substantivum *προπηλακισμός* non reperitur nisi or. 18, 12, 316; semel etiam *προπηλακιστικῶς* legi, or. 30, 36.

προσηγορία, ep. IV, 3 *τὰς δ' ἀπὸ τῶν προεληλυθότων προσηγορίας ἐπὶ ταῖς γεγονυίαις πράξεσι τίθενται* (scil. *οἱ θεοί*) itemque § 4 *τῆς ἐναντίας προσηγορίας τυγχάνειν*, ubi etiam verbum *προσαγορεύειν* invenitur. Substantivum illud ita usurpatum est, ut sit „sors oraculo edita". Etiam Demosthenes hac voce utitur, ita tamen ut significet appellationem vel nomen, velut his locis, or. 6, 25 *ἐλευθερίαν. εἶτ' οὐχ ὁρᾶτε Φίλιππον ἀλλοτριωτάτας ταύτῃ καὶ τὰς προσηγορίας ἔχοντα; βασιλεὺς γὰρ καὶ τύραννος ἅπας ἐχθρὸς ἐλευθερίᾳ* et or. 23,27 *τὴν μὲν δὴ προσηγορίαν τοῦ πάθους τὴν αὐτὴν ἐποιήσατο* et § 29 *πρῶτον μὲν δὴ τοῦτον ἀνδροφόνον λέγει, τὸν ἡλωκότα ἤδη τῇ ψήφῳ. οὐ γάρ ἐστ' οὐδεὶς ὑπὸ ταύτῃ τῇ προσηγορίᾳ, πρὶν ἂν ἐξελεγχθεὶς ἁλῷ* et or. (60), 7 *οἱ γὰρ τῆς κατὰ τὸν παρόντα χρόνον γενεᾶς πρόγονοι καὶ πατέρες καὶ τούτων ἐπάνω τὰς κατηγορίας ἔχοντες.*

φθόη, ep. III, 30 *ὥστε δύ' ἔχειν ἑταίρας, αἳ μέχρι φθόης καλῶς ποιοῦσαι προπεπόμφασιν αὐτόν.* Vox quae est *φθόη* apud Platonem et Isocratem semel, apud Demosthenem non invenitur. Ut iam diximus, Harpocratio, Hesychius, Photius, etymologicum magnum et Gudianum illam vocem commemorant (v. supra p. 10 seq.). Sed ut *φθόη* ita *προπέμπειν* vox a Demothenis copia verborum abhorret; reperitur autem apud poetas scaenicos, Platonem, Antiphontem (or. 1,16 *προπέμψαι εἰς τὸν Πειραιᾶ τὸν πατέρα τὸν ἐμόν*), Aeschinem (*κατ. Κτησ.* § 76 *προὔπεμψεν εἰς Θήβας*).

χρόνος, ep. II, 16 *μαρτυρεῖ δέ μοι πᾶς ὁ πρόσθεν παρεληλυθὼς χρόνος.* Intolerabilis qui in coniunctis vocabulis *πρόσθεν* et *παρεληλυθὼς* inest pleonasmus nullo alio loco exstat. Frequentissime *ὁ παρεληλυθὼς χρόνος* (simil.) apud Demosthenem invenitur; comparentur enim hi loci, or. 4,1, 2, 34, or. 18, (181), or. 24, 44, 90, or. 30, 4, — or. (7), 11, or. (26), 22, or. (43), 72, or. (59), 3, prooem. (21). Minus crebro legitur *ὁ πρόσθεν χρόνος*, or. 19, 64, 327, or. (47), 23; *ὁ ἔμπροσθεν χρόνος* or. 18, 94, 201, 282, or. 19, 258, 289, or. 21, 8, or. 24, 133 bis, or. (53), 5, 7, 8; *ὁ μεταξὺ χρόνος* or. 4, 37, or. 18, 26, or. 19, 150, 164, or. 24, 25;

ὁ ἄνωθεν χρόνος or. 9, 41, or. (44), 16, prooem. (30); praeterea commemoro πᾶς ὁ πρὸ τοῦ χρόνος γεγονώς or. 20, 130, ἐν τῷ ἴσῳ χρόνῳ or. 19, 270, ἀντὶ μικροῦ χρόνου or. (60), 32, τὸν μέλλοντα χρόνον or. (61), 40, τὸ παρεληλυθός et in pluralis forma or. 18, 192 et 242. In epistulis legimus praeter ep. II, 16 has formulas: ἐν τοῖς μετὰ ταῦτα χρόνοις ep. II, 6, ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον ep. I, 1, περὶ τῶν παρεληλυθότων ep. I, 9. Fortasse autem, ne errorem illum auctori imputemus, vox παρεληλυθώς quasi glossa ad locutionem quae est πᾶς ὁ πρόσθεν χρόνος addita delenda est.

Tum etiam adiectivorum haud ita parvus numerus in epistulis exstat, quorum usus aut alienus a Demosthene aut certe rarior est. Enumero haec:

ἀγεννής, ep. I, 5 οὐ μόνον ἐστὶν ἀνάξιον ὑμῶν καὶ ἀγεννές. Est in usu Platonis, Aeschinis, Plutarchi aliorum. Apud Demosthenem reperitur or. 21, 152 οὐδὲν ἀγεννὲς ὑμῶν καταγιγνώσκω; praeterea haec vox semel or. (26), 22 κύνα — ἀγεννῆ legitur et adverbium exstat or. (11), 2. Frequens est apud posteriores scriptores, velut quater occurrit in Plutarchi de Alexandri fortuna vel virtute libris, λόγ. β, § 2, 3, 4, 13[1]).

ἀδιάλλακτος, ep. II, 21 εἴ γέ μοι τὰ πρὸς ὑμᾶς ἀδιάλλακτα ὑπάρχει. Apud Demosthenem hoc adiectivum his locis traditum est, or. 8, 43 ἐχθρὸν ὑπειληφέναι — ἀδιάλλακτον ἐκεῖνον, qui locus etiam or. (10), 15 exstat, or. 24, 8 τὸν δὴ εἰς τοιαῦτα καταστήσαντά μ' ἀδίκως ἀδιάλλακτον ἐχθρὸν ἡγούμην.

ἀΐδιος, ep. III, 25 μήτε ἀϊδίους τοῖς ἀτυχήσασι καθιστάναι τὰς συμφορὰς συμφέρει. Invenitur hoc adiectivum apud Antiphontem, or. 1, 21 ἠδικημένῳ τὸν ἀΐδιον χρόνον, aliosque, non invenitur apud Demosthenem.

ἀνέγκλητος, ep. II, 14 τῶν τε γραφέντων περὶ Ἁρπάλου μόνα τὰ ἐμοὶ πεπραγμένα ἀνέγκλητον πεποίηκε τὴν πόλιν. Pollux hanc vocem inter Demosthenicas enumerat (v. supra p. 10). Alias hoc adiectivum in Demosthenis operibus non exstat, Plato et Xenophon eo usi sunt. Adverbium autem ter traditum est in pseudodemosthenica oratione septima decima § 2, 22, 30[2]).

ἀνέλεγκτος, ep. II, 16 τῆς ἀνελέγκτου νῦν ἐπενεχθείσης αἰτίας. Plato hanc vocem saepius usurpat, non Demosthenes.

ἀνεκτός, ep. III, 13 παιδείας μετέχοντες, ἣ καὶ τοὺς ἀναισθήτους ἀνεκτοὺς ποιεῖν δοκεῖ δύνασθαι, quae vox hoc loco affir-

1) Ed. Didot. Parisiis 1868, tom. I, pag. 411, 11 et 49, pag. 413,3, pag. 421,20.

2) Cf. Windelii dissert. l. p. 7.

mative adhibita est, cum ceteris locis a Demosthene cum negatione, sicut etiam apud Platonem (cf. etiam Gorgiae Palamed. § 28 *οὐκ ἀνεκτόν*) invenitur, coniuncta sit, or. 8, 8 *οὐϑ' ὅσια οὔτ' ἀνεκτά*, or. 18, 203 *οὐδ' ἀνεκτὰ οὐδ' ἔμφυτα*, or. 19, 197 *οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι*, — or. (25), 17 *ἕτερος δ' οὐδεὶς ἐστιν ἀνεκτὸς αὐτῷ λόγος* et § 32 *πόλει δ' οὐκ ἀνεκτόν*.

ἀνουϑέτητος, ep. III, 11 *Φιλίππου, ὅς ἀνουϑέτητος ὢν εἰκότως*. Simili modo Isocrates hac voce de tyrannis utitur (or. 2, 4 *ἀνουϑέτητοι διατελοῦσιν*). Apud Demosthenem hoc adiectivum alias deest.

ἄφυκτος, ep. III, 18 *κἄν τι γένηται πταῖσμα, ἄφυκτον ἔσται*, quod vocabulum in toto corpore orationum Demosthenicarum non invenitur nisi in Solonis elegia illa in or. 19, 255 (p. 422 R) servata:

τοῦτ' ἤδη πάσῃ πόλει ἔρχεται ἕλκος ἄφυκτον.

Poetae scaenici et Plato hanc vocem compluriens adhibuerunt. Animadvertenda sunt ea, quae Aeschines *κατ. Κτησ.* § 17 tradit: *πρὸς δὲ δὴ τὸν ἄφυκτον λόγον, ὅν φησι Δημοσϑένης, βραχέα βούλομαι προειπεῖν.*

ἐγκάϑετος, ep. III, 34 *τοῦ δήμου πρὸς τοὺς ὑπὲρ αὐτοῦ λέγοντας ὑπ' ἀνϑρώπων ἐγκαϑέτων διαβληϑέντος*, quae vox a Demosthenis copia verborum aliena est. Invenitur apud Platonem, Polybium, alios. Antiatticista qui vocatur (cf. Bekkeri anecd. p. 96, 30) dicit Hyperidem (*κατὰ Αὐτοκλέους*) adiectivo illo ita usum esse, ut significet *εἰσποιητὸς υἱός*.

ἐπίφϑονος, ep. II, 24 *ἵνα μηδὲν ἐπίφϑονον γράψω*. Haec vox usitata apud poetas scaenicos, Thucydidem, Platonem, Gorgiam (Palam. § 28 *ἐπίφϑονον μέν, ἀληϑῆ δέ*), alios, semel a Demosthene adhibita est, or. 37, 52, ubi homo dicitur *ἐπίφϑονος*; praeterea reperiuntur prooem. (13) haec: *ἴσως ἐπίφϑονον ἄν τισιν, ὦ ἄνδρες Ἀϑηναῖοι, δόξειεν εἶναι*. Vox quae est *ἀνεπίφϑονον* apud Demosthenem his locis tradita est, or. 8, 71 *οὕτω γὰρ ἂν ἴσως ἀνεπίφϑονον εἰπεῖν*, or. 18, 321 *οὕτω γάρ μοι περὶ ἐμαυτοῦ λέγοντι ἀνεπιφϑονώτατον εἰπεῖν*, or. (59), 15.

εὐγνώμων, in superlativo gradu, ep. III, 45 *εὔχεσϑαι μὲν ὡς εὐγνωμονεστάτων τυγχάνειν*. Hoc adiectivo, quod apud Andocidem, or. 2, 6 (in comparativo gradu), Xenophontem, Aeschinem, *κατ. Κτησ.* § 170, Plutarchum legitur, Demosthenes non usus est, cum vox *ἀγνώμων* persaepe apud eum inveniatur, quae etiam in epistulis nonnumquam tradita est.

εὐκατέργαστος, in comparativo gradu, ep. I, 6 *πολλῷ πάντ' εὐκατεργαστότερα ὑμῖν ποιήσει*, quod adiectivum nullo alio loco in Demosthenis orationibus exstat.

ἤπιος, in comparativo gradu, ep. I, 7 *ἀφεϑέντες δὲ τοῦ*

δέους τούτου πάντες ἠπιώτεροι γενήσονται. Alias hoc adiectivum, quod a poetis, a Platone crebro usurpatum est, apud Demosthenem non occurrit, cum adverbium duobus his locis reperiatur, or. 24, 193 *ἠπίως κεῖσθαι καὶ φιλανθρώπως* et or. (56), 44 *ἠπιωτέρως ἔχειν.*

θεοφιλής, in superlativo gradu, ep. IV, 3 *ἐγὼ τὴν πόλιν τὴν ὑμετέραν εὐτυχεστάτην πασῶν πόλεων ὑπολαμβάνω καὶ θεοφιλεστάτην.* Hanc vocem apud poetas, Platonem, Xenophontem saepe adhibitam in Demosthenis scriptis non inveni. Isocrates or. 4, 29 adverbio utitur: *ἡ πόλις ἡμῶν οὐ μόνον θεοφιλῶς ἀλλὰ καὶ φιλανθρώπως ἔσχεν.*

καταδεής, ep. II, 20 *τὴν δὲ εἰς τὸ παρὸν δύναμιν καταδεεστέραν*, in comparativo gradu, qui in hac voce usitatior est quam positivus. Apud Demosthenem positivum or. (10), 36 *πρὸς τοὺς καταδεεῖς*, comparativum or. 27, 2 et adverbium comparativi or. (48), 55 legimus.

περιπετής, ep. V, 1 *μή με καταστήσῃς ἀηδεῖ καὶ δεινῷ μηδενὶ περιπετῆ.* Hoc adiectivum apud poetas, Herodotum, Plutarchum, non apud Demosthenem reperitur.

πλέον οὐδέν ἐστιν[1]), ep. III, 41 *οὔτ' ἐμοὶ πλέον οὐδὲν οὔθ' ὑμῖν ἔσται.* Haec locutio in Demosthenis operibus nonnullis locis exstat, or. 5, 21 *οὐδὲν ἂν αὐτοῖς ἐδόκει πλέον εἶναι;* or. 19, 42, or. 20, 7, 103, or. 24, 209, 217, or. 36, 59, — or. (13), 36, or. (32), 17, or. (35), 31, prooem. (2) et (49); cf. or. 4, 34 (*πλέον οὐδὲν ποιοῦντες*), or. 23, 68 (*πλέον οὐδ' ὁτιοῦν ἕξει*), — or. (47), 1 (*μηδὲν αὐτῷ πλέον γένηται*).

Ex adverbiorum numero commemoro haec:

ἀκριβῶς οἶδα, ep. III, 41, quem locum non attulissem, nisi G. H. Schaefer annotavisset: „Rarior adverbii *ἀκριβῶς* usus hac in formula. Vide H. Stephani thesaurum“. Quod falsum esse facile apparet. Confer enim or. 3, 2, or. 4, 18, or. 5, 4, 15, or. 6, 35, or. 8, 41 (= or. (10), 13), § 58 (= or. (10), 60), § 60 (= or. (10), 62), or. (10), 75, or. 18, 101, or. 19, 44, 151, or. 23, 149, 187, or. 27, 7, or. 36, 14, or. 41, 18, or. 55, 7, — or. (12), 13, or. (34), 2, or. (35), 41, or. (40), 5, 21, 40, or. (46), 10, or. (48), 40 bis, or. (49), 4, 41, 59, or. (56), 9, or. (58), 15, or. (59), 121, (124), prooem. (24); praeterea compares or. 27, 9 (*ἀκριβέστερον εἴσεσθε*) et or. 28, 5 (*εἰδέναι τἀκριβές*). Videmus autem hanc locutionem crebrius in dubiis orationibus quam in genuinis reperiri. Formula quae est *εὖ οἶδα* tam saepe Demosthenes usus est, ut superfluum sit enumerare, quotiens adhibita

1) Cf. Uhlium in progr. l. p. 20.

sit. Locutionem vero quae est *σαφῶς οἶδα* his locis legi, or. 3, 17, or. 4, 29, or. 8, 43 (= or. (10), 15), or. 15, 33, or. 18, 156, or. 19, 57, 320, or. 22, 4, 6, or. 23, 126, or. 24, 195, or. 27, 1, or. 28, 22, or. 30, 5, 26, or. 41, 29, or. 55, 22 (*σαφέστερον*), — or. (12), 9, or. (17), 19, (*σαφέστερον*), or. (29), 5, 9, 26, or. (56), 1. Confer Schwebschii dissertationem laudatam p. 78; quem complures loci fugerunt.

ἀόκνως, ep. III, 4 *ἀόκνως καὶ λέγων καὶ πράττων*. Hac voce Demosthenes numquam utitur.

ἑτέρωσε βλέπων οὐδαμοῖ, ep. II, 17, quod nullo alio loco Demosthenis inveni.

λίαν, ep. III, 37 *λίαν ὀλίγωροι*. Windelius in diss. sua p. 7 dicit: „Ne *λίαν* quidem Demosthenes saepius usurpat" enumeratque duodecim locos, quibus hoc adverbium substantivis, adiectivis, adverbiis, verbis additum est; adicio praeter epistulae locum tres locos, ut habeamus sedecim hos, or. 1,26, or. 6, 21, 33, or. 14,41, or. 18,174, or. 20,145, or. 21, 103, 205, or. 27, 16, 24, or. 31,2, or. 54,11, — or. (17),1, or. (29),2, prooem. (53), ep. III, 37.

ἐκ τοῦ παραχρῆμα, ep. I, 11 *τοῖς ἐκ τοῦ παραχρῆμα συμβαίνουσιν ὀρθῶς χρῆσθαι*. Formula quae est *ἐκ τοῦ παραχρῆμα* his locis legitur, or. 1,1, qui locus etiam prooem. 3 exstat, or. (61),3. Sola vox *παραχρῆμα* adverbii loco a Demosthene persaepe adhibita est, ut or. 2, 28, 31, or. 3,34, or. 6,36, or. 19, 25, 26, 137, 153, 259, 325, or. 20, 15, 66, or. 21, 16, (47), 195, or. 23, 81, 217, or. 24, (42), 169, or. 36, 10, 35, or. 37, 13, 47, or. 41, 23, or. 45,61, or. 54, 11, 33, — or. (7),19, or. (26),5, or. (33),23, (prooem.) 6, 9, 10, 28, 41. Praeterea *παραχρῆμα* coniunctum cum adverbio *εὐθύς* semel in genuina oratione, or. 19,42 *παραχρῆμα τότ' εὐθύς*, et ter in orationibus quae vulgo Demosthenis nomine circumferuntur, or. (29),15, or. (48),40, or. (52),6 (*εὐθέως παραχρῆμα*), invenitur; de quo pleonasmo conferenda sunt ea, quae Schaffner dicit in diss. laudata p. 35; cf. etiam *εὐθὺς ἐπὶ κεφαλήν* or. (42),12.

ταραχωδῶς, ep. III, 10 *εἰ μὴ ὅλως πικρῶς καὶ ταραχωδῶς ἔχειν πρὸς τοὺς δημοτικοὺς ὡρμήκατε*. Hoc adverbium nullo alio loco legi; semel inveni adiectivum, or. (25),42 *λόγους στασιώδεις καὶ ταραχώδεις*, cum substantivum quod est *ταραχή* creberrime reperiatur.

Etiam de usu praepositionum pauca addenda sunt.

ἐπί, ep. II, 11, *ἐφ' οἷς ἅπασι μέν, μάλιστα δὲ τοῖς νέοις ἄγασθαι προσήκει*. Ad locutionem quae est *ἄγασθαι ἐπί τινι* G. H. Schaefer annotat: „rarior constructio, sed proba". Nusquam enim alias haec structura, quae est verborum gaudendi in verbo *ἄγασθαι* invenitur.

Contra praepositio ἐπί desideratur in verbo quod est ἐπιτιμᾶν, quod duobus locis cum duplici dativo et eius qui vituperat et rei, propter quam aliquis vituperatur, iunctum est, ep. II, 19 ἐπιτιμᾶν ὑμῖν τι πειρωμένων τῇ κατ' ἐμὲ ἀγνοίᾳ et ep. III, 1 πολλῶν ἀκούειν ἐπιτιμώντων ὑμῖν τοῖς (sic Σ, vulg. ἐπὶ τοῖς) περὶ τοὺς Λυκούργου παῖδας γιγνομένοις. Exspectatur autem praepositio ἐπί cum dativo coniuncta. Alia praepositio usurpata est ep. II, 11, ubi leguntur haec: τὸν ἐπ' εὐνοίᾳ περὶ ὧν ἂν ἀγνοῆτε ἐπιτιμήσοντα. Hoc loco ἐπ' εὐνοίᾳ causam, ob quam aliquis aliquos reprehendit, indicat, cum causa, propter quam aliquis vituperandus est, praepositione περί cum genitivo exprimatur. Saepius ἐπιτιμᾶν τινι, id est cum dativo personae, apud Demosthenem invenitur, neque tamen ullum locum inveni, qui cum nostro comparari possit, quoniam, quantum vidi, numquam causa aliqua vituperationis addita est.

κατά, ep. I, 16 κατὰ τῶν νικητηρίων ἅπασιν αὐτοῖς (sc. diis) εὐξάμενοι, quae verba cum Reiskio non aliter quam ita intellegenda sunt: τὰ νικητήρια θύσειν εὐξάμενοι. Similem praepositionis κατά usum apud Demosthenem frustra quaeres. Plutarchus quidem vit. Marii cap. 26 similiter scribit ηὔξατο τοῖς θεοῖς κατὰ ἑκατόμβης. Substantivum illud quod est τὰ νικητήρια semel or. 51,17 legimus: ὥσπερ περὶ δωρεᾶς, ἀλλ' οὐ περὶ νικητηρίων τῶν λόγων ὄντων.

παρά, ep. III, 6 ἐπιστεύετ' αὐτῷ καὶ δημοτικὸν παρὰ πάντας ἡγεῖσθε. Hic quoque praepositionis παρά usus a Demosthenis ratione dicendi plane alienus est. Exspectatur superlativus cum genitivo πάντων coniunctus. Cum vero superlativus adiectivi δημοτικός non usurpetur — comparativus apud Lysiam, Polybium invenitur —, illud δημοτικὸν παρὰ πάντας auctor epistulae ipse sibi formavit.

πρὸ τοῦ semel ep. I, 8 legimus, μηδενὶ τῶν τὰ πρὸ τοῦ γε δοκούντων συνηγωνίσθαι τοῖς καθεστηκόσι. Haec formula ter in Demosthenis orationibus occurrit, et or. 20,130 πᾶς ὁ πρὸ τοῦ χρόνος γεγονώς, et or. 23,203 ἃ πρὸ τοῦ μεγάλ' ἦν et or. (11),4 τῶν αὐτῷ πρὸ τοῦ φίλων ὄντων.

σύν. Hanc praepositionem bis in epistula prima legimus, et § 3 ὡς σὺν θεοῖς εἰρῆσθαι et § 12 σὺν πολλῇ σπουδῇ καὶ πόνῳ. Quod quidem cum Demosthenis usu huius praepositionis minime congruit, quippe quae ut apud ceteros oratores atticos ita in Demosthenis orationibus rarissime reperiatur. Maxime autem animadvertendum est Demosthenem σύν praepositione plerumque in iis orationibus, quas primas composuit, usum esse; ita in or. 27 sexies, § 23, 31, 35, 38, 50, 61, et semel or. 28,13 et or. 31,11; praeterea non exstat nisi or. 19,155. Deinde σύν praepositio in his vel non genuinis vel dubiis orationibus tradita est,

or. (29),1 *σὺν θεοῖς εἰπεῖν*, or. (34),7, or. (35),18, or. (43),51 (in lege quadam inserta: *σὺν ταύτῃσιν*)[1]. Praeterea *σύν* loco adverbii or. 8,65 bis invenitur: *μὴ σὺν εὖ πεπονθότων* (*συνευπεπονθότων*) *τῶν πολλῶν Ὀλυνθίων* — *μὴ σὺν εὖ πεπονθότος τοῦ πλήθους τοῦ Θετταλῶν*, qui locus totus in or. (10),67 repetitus est.

Postremo commemoro formam dativi pluralis *οὐδέσι*, quae admodum mira videtur. Traduntur enim ep. II, 18 haec: *ἐπεὶ ὅτι γε ὑμῖν προσεῖχον τὸν νοῦν καὶ οὐδέσιν ἄλλοις, πολλὰ ἂν ἴδοιτε σημεῖα*. Rarissima haec forma est. C. G. Krueger[2]) novem Demosthenis locos enumerat, quibus nominativus pluralis, tres, quibus accusativus pluralis, unum, quo genitivus pluralis *οὐδένων* legitur, additque haec: „*οὐδέσιν* et *μηδέσιν* apud Atticos non leguntur.“ Neque vero haec enumeratio plena est neque illud est verum formam *οὐδέσι* nullo loco inveniri. Nominativum pluralis *οὐδένες* his locis reperimus, or. 5,5, or. 14, 1 (= prooem. 7), or. 18,304 (ubi cod. Σ *ἐκέχρηντ'* praebet), or. 19, 66, 312, or. 23,204, or. 24,214, or. 27,7, or. 30,37, or. 51,21, or. (10),49; accusativum pluralis *οὐδένας* legimus or. 15,19, or. 18,23 (ex coniectura), or. 19,31, prooem. (46); genitivus pluralis exstat or. 2,17 (*οὐδένων εἰσὶ βελτίους*); dativus pluralis praeter nostrum epistulae locum or. (10),52 *παρ' οὐδέσι* et prooem. (24) *οἷοις οὐδέσι* servatus est, locis igitur iis, de quibus dubitatur sintne genuini. Immo Dindorfius ad id audaciae progreditur, ut or. 1,19 formam *οὐδενί*, quae libris tradita est, in pluralem *οὐδέσι*, quem requiri putat, mutet.

Videmus igitur epistularum auctorem studiosissimum esse vocabulorum, quae apud Demosthenem aut perraro inveniuntur aut omnino ab eius usu abhorrent. Singulas autem voces adhibitas a poetis aut iis auctoribus, qui ut Plato a poetarum dicendi genere haud longe distant, scriptor epistularum cum amore quodam usurpat, ut *εὔκλεια* (ep. II), *ἄφυκτος, ἐπίχειρον, ἧττα* (ep. III), *ἐπίνοια, ἤπιος* (ep. I), *ἀγάλλειν, δυστυχία, θεοφιλής* (ep. IV), *περιπετής* (ep. V), quas voces Demosthenes nescio an de industria vitaverit. Etiam verbis cum *α* privativo quod vocatur compositis auctor noster uti solet, velut *ἀβουλεῖν, ἀδιάλλακτος, ἀνουθέτητος, ἀόκνως, ἄφυκτος, ἀψευδεῖν*. Praeterea locutiones quasdam data opera aliis praefert. Hac re indicatur certum quoddam genus dicendi, quod non est Demosthenis. Accedit, quod in compluribus locu-

1) De hac quaestione conferas Karlowam, l. l. p. 8; locis quos collegit unum, or. (43), (51), adieci.

2) Ad Arr. anabas. Alex. V, 4, 3.

tionibus auctor epistularum proprietatem sermonis non curat. Minime enim Demosthenem ipsum, ne in epistulis quidem, sic scripturum fuisse puto *τὴν ἐλπίδα προσδοκᾶν*.

Venio nunc ad alteram partem eorum quae de elocutione dicenda sunt, ornatum sermonis dico et figuras.

Ac primo loco amplificationis mentio fiat. Notum enim est Demosthenem imprimis verba orandi, dicendi, sentiendi, praeterea etiam substantiva et adiectiva appositis synonymis amplificare solitum esse (ut *δέομαι καὶ ἱκετεύω, εἰπεῖν καὶ δεῖξαι*)[1].

In epistulis haec verba cognominata, praecipue *καί* et *οὐδέ* vel *μηδέ* particulis coniuncta, legimus:

ep. II, 4 *μὴ — ἀγνοεῖν νομίζετε μηδ' ἐπιλελῆσθαι.*
§ 6 *οὐδὲ — ἀπέστην τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας οὐδ' ἀντηλλαξάμην ἀντὶ ταύτης οὐδέν.*
§ 8 *ἐντυχὼν Φιλίππῳ καὶ διαλεχθείς.*
ep. III, 7 *ἄχθομαι — καὶ ἀντιλέγω.*
§ 8 *ἠγνοήκατε καὶ διεψεύσθητε.*
ep. I, 6 *μήτε πικραίνεσθαι μήτε μνησικακεῖν.*
§ 8 *μήτε μέμφεσθαι μήτ' ἐπιτιμᾶν.*
§ 14 *εἰπάτω καὶ ὑποσχέσθω.*
ibid. *μηδ' ἐξαπατῆσθαι μηδὲ πεισθῆναι.*
§ 16 *ἡγεμόνας ποιησάμενοι καὶ παρακαλέσαντες.*
ep. IV, 12 *εἰπεῖν ἄν τις ὀκνήσαι καὶ γράψαι φυλάξαιτ' ἄν.*
ep. V, 6 *μηδὲ — ἄγου μηδὲ ἡττῶ.*

Substantiva cognominata inveniuntur in epistulis haec:

ep. II, 1 *οὐδεμιᾶς ἀποδείξεως φανερᾶς οὐδ' ἐλέγχου γιγνομένου.*
§ 13 *οὐδένα ἔλεγχον οὐδ' ἀπόδειξιν.*
§ 3 *ἀναμιμνήσκει τοὺς χρόνους μηδὲ τοὺς καιρούς.*
§ 9 *οὐδεμιᾶς ὀργῆς οὐδὲ δυσμενείας οὐδὲ ἀδίκου πλεονεξίας.*
§ 11 *ἐπολιτευόμην γὰρ — ἀφ' ὧν δόξαν καὶ μεγαλοψυχίαν ὑμῖν ὑπάρξειν ἐνόμιζον;* quibus in verbis auctor epistulae imitatus esse videtur hunc Demosthenicum locum: *προῃρούμην πολιτεύματα, ἀφ' ὧν ἅμα δόξαι καὶ τιμαὶ καὶ δυνάμεις συνέβαινον τῇ πόλει*, or. 18, 108.
§ 25 *οὔτε μαλακίαν οὔτε ἀνανδρίαν.*
ep. III, 11 *συνέσει καὶ παιδείᾳ* (cf. or. 18, 127 et Aesch. *κατὰ Κτησ.* § 260).
§ 18 *βδελυρία καὶ ἀναίδεια καὶ προαίρεσις πονηρίας.*
§ 22 *εἰς ἔλεον καὶ φιλανθρωπίαν.*

---

1) Cf. Dionys. Halicarn. *περὶ δεινότητος Δημοσθένους* cap. 58 et Doberenzium in progr. Hildburgh. anni 1844 excurs. II et III.

§ 34, bis, *εὐνοίας καὶ φιλανθρωπίας* (cf. or. 18, 5) et *ταραχῆς καὶ δυσμενείας.*

§ 33 *εἰς πικρίαν καὶ ὠμότητα.*

§ 36 *ἀπὸ τῆς αὐτῆς σπουδῆς καὶ προαιρέσεως.*

§ 37 *τὴν ἐπ' εὐνοίᾳ καὶ φιλίᾳ μέμψιν.*

§ 39 *ἐν μὲν ὑμετέρας χάριτος καὶ μεγαλοψυχίας τάξει.*

ep. IV, 9 *εὔκλειαν — καὶ χάριν ἀθάνατον.*

ep. I, 12 *σὺν πολλῇ σπουδῇ καὶ πόνῳ.*

ep. V, 6 *σωτηρία τις καὶ ἀπαλλαγή.*

Adiectiva haec reperimus:

ep. II, 9 *τῆς συνεχοῦς καὶ καθ' ἡμέραν πολιτείας.*

§ 16 *οὔτ' ἐγὼ χείριστος οὐδ' ἀπιστότατος.*

ep. III, 12 *οὔτε δίκαια — οὔτε καλά.*

ep. I, 5 *ἀνάξιον ὑμῶν καὶ ἀγεννές.*

ep. IV, 3 *εὐτυχεστάτην — καὶ θεοφιλεστάτην.*

§ 4 *θρασὺν καὶ ἀναιδῆ καὶ οὐδὲ νοῦν ἔχοντα.*

§ 7 *πολλὰ καὶ δεινὰ πεπονθέναι καὶ χαλεπά.*

§ 12 *πολλὰ καὶ δεινὰ καὶ αἰσχρά.*

ep. V, 1 *ἀηδεῖ καὶ δεινῷ μηδενί.*

Addo adverbia haec:

ep. I, 10 *ἀδίκως καὶ στασιαστικῶς.*

Videmus igitur non tam verba orandi, sentiendi, declarandi, quae maxime Demosthenes copulare solet, quam alia verba, praecipue vero substantiva in epistulis amplificata esse.

Aliam amplificationis rationem his locis cernimus, quibus additis verbis non eiusdem fere significationis, sed sensum paullulum variantibus sermo exornatur, quod auxilio particularum *καί — καί* aut *ἤ* aut *οὔτε — οὔτε* vel *μήτε — μήτε* fit:

ep. II, 9 *πλεονεξίας οὔτε κοινῆς οὔτε ἰδίας.*

ibid. *οὐδένα πώποτε οὔτε πολίτην οὔτε ξένον.*

§ 23 *καὶ ὑμῶν αὐτῶν ἄξια καὶ ἐμοῦ.*

ep. III, 4 *ἀόκνως καὶ λέγων καὶ πράττων*, cf. or. 18, 57, (54), (84), 88.

§ 8 *οὔτε φρονῶν οὔτε ποιῶν ἄδικον.*

§ 37 *μήθ' ἁμαρτεῖν δοκοίην μήτε ψευσαίμην.*

ibid. *οὔτε τοὺς ἄλλους οὔτε ὑμᾶς αὐτοὺς αἰσχύνεσθε.*

§ 41 *οὔτ' ἐμοὶ πλέον οὐδὲν οὔθ' ὑμῖν ἔσται.*

ep. I, 2 *ἀγνοησάντων δὲ ἢ παρακρουσθέντων.*

§ 8 *μήτε στρατηγῷ μήτε ῥήτορι μήτε ἰδιώτῃ μηδενί.*

ep. IV, 6 *μήτε παθεῖν μήτε μελλῆσαι.*

ep. VI, 2 *ἄνδρα ὑμῖν εὔνουν καὶ ἐμοὶ φίλον.*

Accedunt alia amplificationis exempla haec:

ep. II, 7 *ἐν ἅπαντι τῷ αἰῶνι τῶν μνημονευομένων ἀνθρώπων δεινοτάτου γεγενημένου.*

§ 10 *οὐδὲν ἠλαττώθητε πώποτε οὐδὲ καθ' ἕν.*
ep. III, 31 *τοιαῦτα καὶ τηλικαῦτα — παραδείγματα.*
§ 44 *τοῦτ' ἐν πᾶσι πεποίηκα καὶ ποιήσω φανερόν.*
ep. I, 1 *καὶ νῦν καὶ ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον.*
ep. IV, 6 *μηδέποτ' ἐν παντὶ τῷ αἰῶνι.*
ep. V, 5 *ἦσθα νέος καὶ τὴν ἡλικίαν εἶχες ἣν ἡμεῖς νῦν.*

Amplificatio in figuram eam, quae *κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν* nominatur, transit, cum ea, quae affirmative expressa sunt, negative repetantur (*— καὶ οὐ*) aut versa vice (*οὐ — ἀλλά*). Cuius generis confer haec:

ep. II, 5 *τύχης, οὐχ ὡς —, ἀλλ' ὡς —, κρινάσης.*
§ 9 *οὐδὲ καθ' ὑμῶν ἰδίᾳ δεινὸς ὤν, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν — ἐξεταζόμενος δημοσίᾳ* (cf. or. 18,277).
§ 14 *καιρῷ τινι ληφθεὶς καὶ οὐκ ἀδικήματι.*
ep. III, 1 *μηδὲ πρὸς φιλονεικίαν, ἀλλὰ πρὸς τὸ δίκαιον.*
§ 14 *μηδενὸς κακοῦ, ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν.*
§ 19 *τὸ μὲν μὴ δίκαιον εἶναι — καὶ τὸ — δίκαιον εἶναι.*
§ 41 *μὴ φιλονείκως, ἀλλ' ἀνθρωπίνως.*
ep. I, 10 *οὐ τυχὼν αὐτὸς τῆς τοιαύτης φιλανθρωπίας παρ' ἐνίων, ἀλλὰ ἀδίκως — προποθείς.*
ep. IV, 2 *οὐκ ἀκοῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ μνήμης.*

Etiam antithesis figura in epistulis saepius reperitur, plerumque *μέν* et *δέ* particulis additis. Commemoro has antitheses:

ep. II, 5 *τῆς δὲ ἀναγκαίας μέν, ἀγνώμονος δὲ τύχης.*
§ 11 *ἅπασι μέν, μάλιστα δὲ τοῖς νέοις.*
§ 23 *ἡ δικαία τύχη τῆς ἀδίκου κρατήσασα.*
ep. III, 7 *τὸν μὲν τεθνεῶτα ἐλεοῦσι, τοῖς παισὶ δ' — συνάχθονται, ὑμῖν δ' ἐπιτιμῶσι πικρῶς.*
§ 23 *τοῖς μὲν ἄλλην τινὰ κτησαμένοις φιλίαν —, τοῖς δ' εἰς τὸν δῆμον ἀναρτήσασιν ἑαυτούς.*
§ 24 *ἁλῶναι μὲν —, ἀφεθῆναι δέ* (bis).
§ 26 *Λάχητα μὲν —, Μνησίβουλον δέ.*
§ 28 *τοῦ μὲν νοσήματος ὄντος, τῶν δὲ (ἐν) τοῖς θεοῖς ἀποδεδειγμένων.*
ep. I, 1 *ἐμοὶ μὲν ἐπὶ νοῦν ἐλθεῖν γράψαι, τοῖς δ' ἐκκλησιάσασιν Ἀθηναίων ἑλέσθαι* (cf. prooem. (25)).
ep. IV, 1 *θρασὺν μὲν τῷ βίῳ, μὴ πολίτην δὲ τὴν φύσιν* cet.
§ 2 *τούτῳ μὲν οὖν —, ὑμῖν δέ.*
§ 11 *ἐχθρὸς μέν ἐστι τοῖς γονεῦσι, φίλος δὲ Παυσανίᾳ τῷ πόρνῳ καὶ θρασύνεται μὲν ὡς ἀνήρ, πάσχει δ' ὡς γυνή* cet.
ep. V, 1 *Ἐπίτιμον ἐνδεδεῖχθαι μὲν —, σὲ δὲ ἀγωνίζεσθαι.*
ep. VI, 1 *τοῖς μὲν βουλομένοις ἀγαθὰ προσδοκᾶν —, τοῖς δ' ὑπηρετοῦσιν Ἀντιπάτρῳ.*

Praeterea autem habemus in comparanda Aristogitonis et Demosthenis fortuna haec duo antithesis exempla, quorum alterum legitur ep. III, 37: *ἐφ' οἷς Ἀριστογείτονα ἀφήκατε, ἐπὶ τούτοις Δημοσθένην ἐκβεβληκότες*, alterum § 43: *πῶς γὰρ οὐκ ἀτυχής, ᾧ — πρὸς Ἀριστογείτονα ἐμαυτὸν ἐξετάζειν συμβαίνει, καὶ ταῦτ' ἀπολωλότι πρὸς σωτηρίας τετυχηκότα.* Quod in priore exemplo Demosthenis nomen loco pronominis *ἐμέ* positum est, quo manifestior fiat cum Aristogitone comparatio, animadvertendum est plerisque locis, quibus Demosthenis nomen ipsum in eius orationibus invenitur, ita id fieri, ut Demosthenes alium hominem, veluti Aeschinem, de se faciat loquentem. Compara or. 19, 46: *ἐπαναστὰς δ' ὁ Φιλοκράτης μάλα ὑβριστικῶς οὐδέν, ἔφη, θαυμαστόν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μὴ ταὐτὰ ἐμοὶ καὶ Δημοσθένει δοκεῖν· οὗτος μὲν γὰρ ὕδωρ, ἐγὼ δὲ οἶνον πίνω;* cf. etiam or. 19, 80, 171, 188, 229, 242, 253, 335, similiterque fit or. 21, 29, 31, 34, 103. Tamen in or. de cor. habita tria exempla epistulae loci simillima inveniuntur. Sunt autem haec, or. 18, 79 *ἐνταῦθ' οὐδαμοῦ Δημοσθένην γέγραφεν* (scil. Philippus rex) *οὐδ' αἰτίαν οὐδεμίαν κατ' ἐμοῦ* et § 197 *Ἀθήνησιν Αἰσχίνης Δημοσθένους κατηγορεῖ* et § 303 *τί Δημοσθένης ἀδικεῖ;* Hos igitur locos auctor epistulae imitatus est. — Saepius etiam in epistulis adiectiva *κοινός* et *ἴδιος* inter se opponuntur: ita ep. II, 9: *πλεονεξίας οὔτε κοινῆς οὔτε ἰδίας;* saepius autem in prima epistula, § 9 *τὰ κοινῇ συμφέροντα πράττετε καὶ τῶν ἰδίων μέμνησθε* et bis § 10: *οὔτε τὴν ἰδίαν ὀργὴν ἀναπληρῶν τὸ κοινῇ συμφέρον οἶμαι δεῖν βλάπτειν οὔτε μίγνυμι τῆς ἰδίας ἔχθρας εἰς τὰ κοινῇ συμφέροντα οὐδέν;* accedit etiam ep. IV, 4: *τὴν μὲν κοινὴν εὐτυχίαν* -, *τὴν δὲ ἰδίαν βλασφημίαν.* Qua cum antithesi tres or. 18 loci conferendi sunt, § 95 *ἄνδρ' ἰδίᾳ καὶ πόλιν κοινῇ*, § 255 *ὁ δὲ τὴν ἰδίαν τύχην τὴν ἐμὴν τῆς κοινῆς τῆς πόλεως κυριωτέραν εἶναί φησι*, § 295 *τῆς ἰδίας ἕνεκ' αἰσχροκερδίας τὰ κοινῇ συμφέροντα προΐεντο.* Similiter *ἰδίᾳ* et *δημοσίᾳ* sibi opponuntur in hac sententia, quae complures amplificationis modos praetereaque chiasmi figuram comprehendit, ep. II, 9 *οὐδεμιᾶς ὀργῆς — προϊστάμενος οὐδὲ συκοφαντήσας οὐδένα πώποτε οὔτε πολίτην οὔτε ξένον οὐδὲ καθ' ὑμῶν ἰδίᾳ* (a) *δεινὸς ὢν* (b), *ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν, εἴ τι δεήσειεν, ἐξεταζόμενος* (β) *δημοσίᾳ* (α); cf. or. 18, 277. — In tertia epistula cum Philippo rege (*ὃς ἀνουθέτητος ὢν εἰκότως*, § 11) Athenienses comparantur hisce verbis: *ὑμεῖς δ' ὄντες Ἀθηναῖοι* (§ 13) eodem fere modo quo or. 18,68: *τῷ μὲν ἐν Πέλλῃ τραφέντι —, ὑμῖν δ' οὖσιν Ἀθηναίοις —;* confer etiam or. 15,23 *ὑμεῖς δ' ὄντες Ἀθηναῖοι βάρβαρον ἄνθρωπον, καὶ ταῦτα γυναῖκα, φοβήσεσθε;* or. 23,109 *εἶτ' Ὀλύνθιοι μὲν ἴσασι τὸ μέλλον προορᾶν, ὑμεῖς δ' ὄντες Ἀθηναῖοι;* or. (32),23 *ὑμεῖς δ' ὄντες Ἀθηναῖοι.*

Polysyndeta et asyndeta a Demosthene saepissime adhibita sunt. Ita ne in epistulis quidem hae figurae desiderantur. Polysyndeta, quae interdum a particula *ἅμα* incipiunt, legimus haec:
ep. II, 2 *τῆς πατρίδος καὶ τῶν ὄντων καὶ τῆς τῶν οἰκειοτάτων συνηθείας.*
§ 12 *χορηγίας καὶ τριηραρχίας καὶ χρημάτων ἐπιδόσεις.*
§ 25 *λῦπαι καὶ δάκρυα καὶ τῆς πατρίδος καὶ ὑμῶν πόθος καὶ ὧν πέπονθα λογισμός.*
ep. III, 14 *χρηστὰ καὶ δημοτικὰ καὶ ἐπ' εὐνοίᾳ.*
§ 31 *ἡ καθήκουσα μοῖρα καὶ ἡ τύχη καὶ ὁ χρόνος.*
§ 40 *ἅμα ἀδοξίᾳ καὶ ἀπορίᾳ καὶ φόβῳ συνέξομαι.*
§ 43 *οὔτε γὰρ ἄξιος οὔτε ἐπιτήδειος οὔτε χείρων, ἀτυχὴς μέντοι.*
ep. I, 2 *ἅμα δόξαν καὶ σωτηρίαν καὶ ἐλευθερίαν.*
§ 9 *καὶ — πράξετε καὶ — ὠφελήσετε — καὶ — ποιήσετε.*
§ 11 *ἐπιστατῆσαι καὶ — χρῆσθαι καὶ γνῶναι — καὶ κρῖναι.*
§ 16 *πολλὰς καὶ καλὰς καὶ ἀγαθὰς καὶ ἀληθεῖς ὑμῖν μαντείας.*
ep. IV, 3 *καὶ τὸν Δία τὸν Δωδωναῖον καὶ τὴν Διώνην καὶ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον.*
§ 9 *καὶ σώμασι καὶ χρήμασι καὶ πόλει καὶ χώρᾳ καὶ πᾶσιν*; cf. or. 18,20 *οὔτε χρήμασιν οὔτε σώμασιν οὔτ' ἄλλῳ οὐδενὶ τῶν ἁπάντων.*

Polysyndetum vero, quod ep. I, 13: *πράττων καὶ πονῶν καὶ τολμῶν* traditur, ex or. 2,23 fluxit, ut supra vidimus. Illud autem polysyndetum, quod or. de cor. hab. § 298 exstat: *οὔτε καιρὸς οὔτε φιλανθρωπία λόγων οὔτ' ἐπαγγελιῶν μέγεθος οὔτ' ἐλπὶς οὔτε φόβος οὔτ' ἄλλ' οὐδέν*, ab epistulae alterius auctore in huiuscemodi asyndetum mutatum est, ep. II, 6: *οὐδ' ἀντηλλαξάμην ἀντὶ ταύτης οὐδὲν, οὐ χάριν, οὐκ ἐλπίδας, οὐ πλοῦτον, οὐ δυναστείαν, οὐκ ἀσφάλειαν.*

Repetitio eiusdem vocis in una sententia invenitur ep. II, 2 *τῆς ὁ μ ο ί α ς τυχεῖν σωτηρίας τοῖς τῶν ὁ μ ο ί ω ν αἰτιῶν τετυχηκόσι* et ep. III, 14 *π ᾶ σ ι γὰρ π ά ν τ ω ν τῶν ἁμαρτημάτων ὅρος ἐστὶ τελευτή;* similiterque ep. II, 25 *τοῖς π α ρ ο ῦ σ ι ἕκαστος ἀφθόνως χρῆται, ἐμοὶ δὲ ταῦτα νῦν π ά ρ ε σ τ ι ν*, ep. III, 23 *τοῖς μὲν — πλεονεκτεῖν ὑ π ά ρ χ ε ι —, τοῖς δ' — ἔλαττον ἔχειν ὑ π ά ρ ξ ε ι*, § 28 *ὅ λ ω ς δὲ κοινόν ἐστιν ὄνειδος ἁπάντων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ ὅ λ η ς τῆς πόλεως συμφορά*, § 43 *τοῖς α ὐ τ ο ῖ ς γε λόγοις ὑπὸ τῆς α ὐ τ ῆ ς βουλῆς*, § 16 *α ὐ τ ὸ ς α ὐ τ ο ὺ ς δῆσαι*, ep. V, 6 *μηδ' ὑφ' ἑνὸς — ἄ γ ο υ —, ἀλλ' ἐκείνους ἄ γ ε.* Figuram quae dicitur *ἀναφορά* ep. II, 15 habemus his in verbis: *τί τῶν δικαίων οὐκ εἶπον ἐγὼ — ἢ τίνα ἔλεγχον εἶπεν ἡ βουλὴ κατ' ἐμοῦ ἢ τίνα νῦν ἂν εἰπεῖν ἔχοι;* Etiam tertiae epistulae huc referendus est locus: *ἀτυχὴς μέντοι δι' ὑμᾶς· ὁμολογῶ· πῶς γὰρ οὐκ ἀτυχής, ᾧ* (§ 43) et primae epistulae locus hic: *εὔχομαι δή —. εὐξάμενος*

δὲ ταῦτα (§ 1) neque minus quartae epistulae hic locus: *περὶ ὧν εἰς ἐμὲ καὶ περὶ ὧν εἰς ὑμᾶς παροινεῖ* (§ 2). Confer supra pag. 40 seq., ubi eiusmodi exempla quaedam minus apta commemorata sunt.

Similiter desinentia (*ὁμοιοτέλευτα*) nescio an consulto auctor secundae epistulae haec praebet, § 26: *ἐῶσι καὶ ἐμοὶ συγχωρήσωσι, καλῶς ποιήσουσιν.* Valde auribus etiam haec displicent, § 13: *ἐλπίδας, ὧν διαμαρτὼν, ὧν ἑτέροις προσῆκε, κεκληρονόμηκα κακῶν.*

Subiectionum (*ὑποφοραί*) in tertia epistula duo exempla occurrunt, quarum una § 16: *εἰ δὲ Μοιροκλῆς ἀποκρίνεται*, altera § 36 legitur: *εἰ δέ τῳ παρέστηκεν.*

Ne obsecrationes quidem deorum in epistulis nostris desunt[1]. Cum vero Andocides et Isocrates eas omnino vitent earumque usus apud alios oratores, Lysiam dico, Isaeum, alios rarissimus sit, Demosthenes imprimis formulam *μά* vel *νὴ Δία, πρός Διός* sim. saepissime usurpat. Longum est enumerare, quotiens hac formula Demosthenes usus sit. Praeter illam vero maxime usitatam formulam in corpore orationum Demosthenicarum reperiuntur obsecrationes hae:

Formula quae est *νὴ τοὺς θεούς* vel *πρὸς τῶν θεῶν* sim. permultis locis invenitur: or. 1, 15, or. 3, 17, or. 15, 26, or. 16, 13, 32, or. 18, 13, 111, 119, 120, or. 19, 147, or. 20, 38, or. 21, 2, 48, 58, 98, 139, 172, 205, 207, or. 23, 106, or. 39, 1, 37, or. 41, 22, or. 45, 81, or. 54, 26, 36, — or. (25), 25, 48, 72, 85, or. (29), 57, or. (35), 44, or. (50), 2. Plenior est formula *ὦ πάντες θεοί* or. 6, 37, or. 9, 76, or. 18, 324, semper illa quidem in ultimis fere orationum verbis adhibita, et *μὰ τοὺς θεοὺς καὶ τὰς θεάς* or. 19, 67 et or. (42), 6. Addo hos locos: *ὀμνύω τοὺς θεοὺς ἅπαντας καὶ ἁπάσας* or. 54, 41, or. 23, 5, or. 32, 31, *τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις* or. 18, 1, 8 (= ep. I, 1), similiterque or. 14, 39, or. 20, 25, prooem. (25), (31); cf. etiam or. (25), 97.

Deinde eas obsecrationes commemoro, quibus Iovis nomen continetur. Semel legi *ὦ Ζεῦ* or. 19, 113, semel *νὴ τὸν Δία τὸν Ὀλύμπιον* or. 24, 121. Saepius invenitur *ὦ Ζεῦ καὶ θεοί* vel *μὰ τὸν Δία καὶ τοὺς θεούς* sim.: or. 18, 129, 199, 285, or. 19, 19, 45, 78, or. 20, 43, 167, or. 21, 73, 108, or. 23, 186, or. 36, 51, 53, or. 55, 9, 35, or. 57, 50, 59, — or. (25), 31, 65, or. (32), 10, 23, or. (40), 53, 61, or. (43), 68; *νὴ τὸν Δία καὶ τοὺς θεοὺς ἅπαντας* sim.: or. 8, 49 (= or. (10), 25), or. 19, 15, or. 23, 188,

---

1) Cf. Rehdantzii ind. II sub voce quae est: Schwurformeln et Frohbergerum in annal. philol. anni 1861 p. 176.

or. 36, 61, — or. (10), 7, or. (25), 13; *μὰ τὸν Δία καὶ τοὺς ἄλλους θεούς* or. 9, 54, *νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω* or. 9, 65, or. (50), 13, addito Minervae nomine or. 21, 198.

Rarius alios deos deasque Demosthenes obsecrat. Hercules aliquotiens advocatur, solus ille quidem: or. 9, 31, or. 19, 308, or. 21, 66, or. (25), 51; *νὴ τὸν Ἡρακλέα καὶ πάντας θεούς* invenitur or. 18, 294. Bis usurpatum est *μὰ τὴν Δήμητρα* or. 3, 32 et or. 19, 262; *μὰ τὴν Ἀθηνᾶν* legimus or. 24, 199, or. (26), 19, prooem. (46). Frequens usus est obsecrationis huius: *ὦ γῆ καὶ θεοί*, or. 18, 139, 158, 294, or. 19, 287, 311, or. 20, 96, or. 22, 78, qui locus etiam or. 24, 186 invenitur, or. 23, 61, or. 39, 21, or. 45, 73, or. 55, 28, — or. (25), 56, or. (34), 29, or. (40), 5. In or. de cor. habita semel reperimus: *καλῶ — τοὺς θεοὺς ἅπαντας καὶ πάσας, ὅσοι τὴν χώραν ἔχουσι τὴν Ἀττικὴν, καὶ τὸν Ἀπόλλω τὸν Πύθιον, ὅς πατρῷός ἐστι τῇ πόλει, καὶ ἐπεύχομαι πᾶσι τούτοις* (§ 141), item semel non deos, sed Marathonios propugnatores aliosque obsecrat Demosthenes: *μὰ τοὺς Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους καὶ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσαντας καὶ τοὺς ἐπ' Ἀρτεμισίῳ καὶ πολλοὺς ἑτέρους τοὺς ἐν τοῖς δημοσίοις μνήμασι κειμένους ἀγαθοὺς ἄνδρας* (§ 208).

Praeterea ex dubiis aut pseudodemosthenicis orationibus has obsecrationes, quae in scriptis vere Demosthenicis non exstant, notamus: *μὰ τὸν Δία τὸν ἄνακτα καὶ τοὺς θεοὺς ἅπαντας* or. (35),40, similiterque *νὴ τὸν Δία τὸν μέγιστον* or. (48),2, *πρὸς τῶν θεῶν καὶ δαιμόνων* or. (42),17, *νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὴν Δήμητρα* or. (52),9.

Addo ea, quae Demosthenes de obsecratione quadam Aeschini addicta dicit or. 18,127: *οὐκ ἂν αὐτὸν οἶμαι ταῦτ' εἰπεῖν οὐδ' ἂν οὕτως ἐπαχθεῖς λόγους πορίσασθαι, ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ βοῶντα „ὦ γῆ καὶ ἥλιε καὶ ἀρετή" καὶ τὰ τοιαῦτα, καὶ πάλιν σύνεσιν καὶ παιδείαν ἐπικαλούμενον, ᾗ τὰ καλὰ καὶ ταἰσχρὰ διαγιγνώσκεται· ταῦτα γὰρ δήπουθεν ἠκούετ' αὐτοῦ λέγοντος.*

Quod ad epistulas attinet, in secunda quidem auctor Demosthenem facit exclamantem haec: *ὡς ἴστωσαν οἱ θεοὶ καὶ ἥρωες* (§ 16), ad quam obsecrationem A. Schaefer optimo iure annotat: „Eine bei Demosthenes unerhörte Betheuerung" (in ann. philol. 115, p. 165). In tertiam epistulam nulla obsecratio deorum admissa est. Initium primae epistulae simillimum esse exordii orationis de cor. habitae iam commemoravimus; utroque vero loco deorum auxilium advocatur: *εὔχομαι δὴ τοῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις*, atque in conclusione epistulae illius similiter exhibentur haec: *τὸν Δία Δωδωναῖον καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς — ἅπασιν αὐτοῖς εὐξάμενοι* (§ 16). In quarta epistula semel *ἀλλὰ νὴ Δία* (§ 8), in quinta

μὰ τοὺς θεούς (§ 3) et πρὸς Διὸς ξενίου καὶ πάντων τῶν θεῶν (§ 1) traditur, quae obsecratio non magis Demosthenicae rationi respondet, quam quae secundae epistulae inserta est.

Eius „dissimulationis, quam Graeci εἰρωνείαν vocant“,[1]) unum in epistulis inest exemplum atque aptissimum nec vero sine quadam vi positum: εἰ δὲ τὸ περιφανὲς ἀξίωμα τῆς βουλῆς (τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου) προσβλέπετε (ep. III, 42).

Praeteritionis figura (παράλειψις) in epistulis saepius adhibita est: ἐῶ sim. ep. II, 10, ep. III, 19, ep. IV, 7, παραλείπω ep. II, 12.

Formula, qua epistularum auctor lecturos alloquitur, semper eadem est: ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, quae numquam in initio enuntiati, sed post verba aliquot est posita. Invenitur autem in solis tribus primis epistulis; in quinta vero illi formulae nullum locum relictum fuisse inde apparet, quod haec epistula non ad senatum populumque Atheniensium, sed ad hominem privatum data est.

Etiam interrogationes quae dicuntur rhetoricae, cum a Demosthene persaepe adhibeantur, epistulis nonnullae continentur, ita quidem, ut quibusdam, id quod cum Demosthenis ratione dicendi bene congruit, responsiones adiunctae sint. Ut exemplo utar, ep. II, 15 compluribus interrogationibus cum gravitate quadam hoc responsum adicitur: οὐ γάρ ἐστιν οὐδείς. Alteri interrogationi: πῶς ἴσον ἐστί cet. auctor ipse respondet his: ἐγὼ μὲν οὐκ ἔχω συλλογίσασθαι, εἰ μή cet. (ep. III, 17). Comparandus est hic quoque locus: ἐρωτᾶτε —, τίς οὖν αὐτὸν κωλύει παρεῖναι καὶ ταῦτα πράττειν; τὸ ἐπίστασθαι αἰσχύνεσθαι cet. (ep. III, 39). Non minus conferas ep. IV, 6: τί οὖν ἐστι θεοῖς ἐξαίρετον cet. Transitionis autem faciendae causa ep. I, 6 interrogatur: τίνα οὖν ἐστι ταῦτα; Interiectae sunt interdum parenthetice, ut ita dicam, parvulae quaedam interrogationes, ut ep. III, 37: οἵτινες, ὦ (τί ἂν εἰπὼν μήθ' ἁμαρτεῖν δοκοίην μήτε ψευσαίμην;) λίαν ὀλίγωροι, quocum hunc locum conferas: εἶτ' ὦ — τί ἂν εἰπών σέ τις ὀρθῶς προσείποι; or. 18,22, similemque locum Westermannus ex Aristophanis nubibus 1382 depromptum (ὦ — τί σ' εἴπω) affert. Nec vero aliter res se habet ep. IV, 8: οὐ μόνον τῷ μὴ δεδουλευκέναι (καίτοι τί τηλικοῦθ' ἕτερον;), ἀλλά cet. Ad sententiam, quam auctor probat, confirmandam semel exclamatio bene adhibita est haec, ep. III, 43: οὐχ οὕτως ὑμεῖς ἀλογίστως ἔχετε, quacum compares or. 18,11: οὐχ οὕτω τετύφωμαι. Sed ut apud Demosthenem fieri solet, ita etiam in epistulis mediae structurae formulae quaedam, quales sunt εὖ οἶδ' ὅτι sim., interpositae sunt, veluti ep. II,

1) Cf. Cic. Ac. 2, 5, 15.

8: *τὸ γὰρ τῷ τοιούτῳ τοῦτον τὸν τρόπον κεχρῆσθαι ἐμοὶ μὲν ἂν εὖ οἶδ' ὅτι φανείη συμφορά* et ep. III, 41: *τότε φήσετε δεινὰ πεπονθέναι με ἀκριβῶς οἶδα, ὅτε.*

Iam imaginibus, quae Demosthenis orationibus ornatum afferre solent, sermo epistularum non omnino caret. Habes enim ep. III, 13 haec: *ὥσπερ ὑπὲρ σταθμῶν ἢ μέτρων τὸ ἴσον σκοπούμενοι;* § 28 *ὁ φθόνος* nominatur *νόσημα* [1]; § 44 haec imago invenitur: *ἔχει τινὰ τοῖς ἀδικουμένοις ῥᾳστώνην τὸ λέγειν ἃ πάσχουσιν, ὥσπερ τοῖς ἀλγοῦσι τὸ στένειν*, quem locum etiam a Stobaeo servatum esse supra diximus; denique § 45 haec legimus: *ἔγνωκα γὰρ ἐξ ἀρχῆς παντὶ τῷ πολιτευομένῳ προσήκειν — ὥσπερ οἱ παῖδες πρὸς τοὺς γονέας, οὕτω πρὸς ἅπαντας τοὺς πολίτας ἔχειν*, quam comparationem cum ea, quae in (Dem.) or. Phil. quarta § 41 exstat, congruere supra vidimus.

Quanta alacritate epistularum auctor scripserit, ex eo apparet, quod semel ipsum verbum *εἰμί*, ne *ἐγώ* quidem pronomine addito, omissum est, ep. III, 43: *οὔτε γὰρ ἄξιος οὔτε ἐπιτήδειος οὔτε χείρων, ἀτυχὴς μέντοι δι' ὑμᾶς· ὁμολογῶ· πῶς γὰρ οὐκ ἀτυχής, ᾧ.* Semel etiam participium quod est *ὄν*, ut iam G. H. Schaefer vidit, desideratur, ep. I, 2. Structura enim loci haec est: *τὸν δὲ παρόντα καιρὸν ὁ ρ ῶ ν ἑλομένων μὲν ὑμῶν — δυνάμενον κτήσασθαι —, ἀγνοησάντων δὲ ἢ παρακρουσθέντων οὐ ῥ ᾴ δ ι ο ν αὖθις τὸν αὐτὸν ἀναλαβεῖν*, ita quidem, ut *οὐ ῥᾴδιον* (scil. *ὄν*) pendeat ex verbo *ὁρῶν*. Neque vero quod tertia persona copulae (*ἐστί*) saepius in epistulis deest, quidquam habet offensionis; fit autem plerumque certis quibusdam adiectivis et substantivis: *εἰκός* ep. II, 8, ep. IV, 9, *ἀδύνατον* ep. III, 27, cf. ep. I, 12, *πῶς οὖν οὐκ ἄτοπον* ep. III, 21, similiterque ep. IV, 4, *ῥᾴδιον δεῖξαι* ep. III, 23, *ἀνάγκη* ep. I, 14, *εὔηθες* ep. I, 7, *δῆλον* ep. IV, 3; compares etiam *ἄξιος γὰρ ἀνήρ* ep. III, 25 et *καλὸς οὖν ἔρανος χάρις δικαία* ep. V, 5.

Demosthenicos quidem locos, quibus *εἰσί* deest, commemoro hos: or. 2,20, or. 19,157, cf. etiam or. 3,17 (ubi cod. Σ *εἰσί* omittit); quibus *εἰμί* deest, hos: or. 4,29, or. 9,4, or. 18,320, quibus *εἶ*: or. 18,320, or. 19,335; quibus *ἐσμέν* or. 20,55, *ἦσθα* or. 18, 313, *ἦν* or. 9,44, or. 19,307, *ἦσαν* or. 19,157, cf. etiam or. 3,25, *ἔσται* or. 4,29, 36, or. 20,20 (Σ), *ᾖ* or. 9,1, or. 21,(47), *εἴη* or. 8,71, or. 22,45.

In fine addo singulas voces locutionesque totiens repetitas esse, ut penuria quaedam verborum inde cognoscatur. Ita verbum

---

1) Cf. ea, quae A. Schaefer de usu huius vocis in annal. philol. l. p. 166 dicit.

ἐξετάζειν in secunda epistula quater invenitur (§ 5, 10 bis, 12), in tertia item quater (§ 8, 12, 14, 43), bis in quarta (§ 5, 10). Substantivum *προαίρεσις* in tertia epistula septies adhibitum est (§ 2, 3, 10, 13, 18 bis, 36), in prima (§ 15) et quarta (§ 10) semel. Verbum quod est *συμφέρειν* in tertia epistula sexies exstat (§ 4, 5, 7, 23, 25, 26), cum *τὸ κοινῇ συμφέρον* sim. in prima epistula quater (§ 5, 9, 10 bis), in quarta semel (§ 2) traditum sit. Substantivum *τάξις* in tertia epistula quater (§ 15, 29, 33, 39) et in prima semel (§ 12) usurpatum est; neque minus adverbium quod est *εἰκότως* in secunda epistula bis, § 17, 22, in tertia ter, § 8, 11, 25, legitur. In tertia epistula quinquies *ἔχειν* cum adverbio et *πρὸς* cum accusativo coniunctum reperitur, § 5 bis (*πολλῷ προθυμότερον πρὸς τὸ πέμψαι τὴν ἐπιστολὴν ἔσχον. παραιτοῦμαι δὲ τοὺς ἰδίᾳ πρὸς ἐκεῖνον ἔχοντας δυσκόλως*), § 10, 44, 45. Moleste in epistula prima *συναγωνίζεσθαι* iteratur, quod iam ab ipso Blassio[1]) vituperatum est: § 5, 6, 8 (*προθύμως συναγωνίζεσθαι*, ad quos locos conferas or. (11),21 et or. (26),11) et § 7 (*προθύμους συναγωνιστάς*, cf. or. (11),4).

Frequentissime in epistulis adhibita est locutio quae est *καλῶς ποιῶν*[2]). In toto corpore orationum Demosthenicarum locos, quibus illa tradita est (vel indicativi vel participii forma), repperi hos: or. 1,28, or. 18,231, 314, or. 20,110, 133, 149, or. 21,212, or. 57,6, addo or. 21,2: *καλῶς καὶ τὰ δίκαια ποιῶν ὁ δῆμος*, — or. (10),38 bis: *ἡ τύχη καλῶς ποιοῦσα — καὶ καλῶς ποιοῦσιν*, or. (25),97 (*καὶ καλῶς ἐποίει*), prooem. (36): *ἡ τύχη καλῶς ποιοῦσα*. In epistulis autem haec locutio septies occurrit, atque indicativi forma semel , ep. II, 26 *καλῶς ποιήσουσιν;* participium vero sex his locis: ter *καλῶς ποιοῦντες*, ep. II, 2, 16 et ep. I, 8, semel dativus singularis, ep. III, 24 *ἀφεῖσθαι δὲ καλῶς ποιοῦντι*, femininum bis legitur, ep. II, 23 *ἡ τύχη — καλῶς ποιοῦσα* et ep. III, 30 in plurali numero. Tanto amore haec formula in epistulis et quidem tribus primis usurpata est!

Non minus auctor epistularum in deliciis habet eorum, quae modo uberius exposuit, comprehensionem addita voce *πάντα*. Ita habemus ep. II, 14: *ἐξ ὧν πάντων δῆλόν ἐστιν ὅτι*, § 25: *ἃ πάντα ποιεῖ με ὀδύρεσθαι*, ep. III, 19: *καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα ἐάσω*, ep. IV, 7: *οἷς ἅπασι συμβέβηκε*, § 9: *καὶ σώμασι καὶ χρήμασι καὶ πόλει καὶ χώρᾳ καὶ πᾶσιν.*

Saepius etiam participiis neutrius generis loco substantivorum

---

1) Die att. Beredts. III, 1, p. 396, 3.

2) Cf. H. Wolfium ad Dem. p. 17, 10, G. Hermannum ad Vigerum p. 777, Funkhaenelium in annal. philol. 79 (1859) p. 705.

utitur auctor epistularum; conferas enim haec: ep. II, 26 τοῖς ὑφ' ὑμῶν ἀγνοηθεῖσιν ὑπηρετοῦντες (cf. ep. II, 19 τῇ κατ' ἐμὲ ἀγνοίᾳ), ep. III, 1 τοῖς περὶ τοὺς Λυκοῦργον παῖδας γιγνομένοις, § 2 τῶν ἐκείνῳ ζῶντι πεπραγμένων ἕνεκα, § 4 ἀσθενεῖς ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσιν ὄντας, § 38 τῶν ὑπὲρ ὑμῶν πεπονημένων, § 40 τῶν ὑπὲρ ὑμῶν πεπολιτευμένων, ep, I, 11 τοῖς ἐκ τοῦ παραχρῆμα συμβαίνουσιν ὀρθῶς χρῆσθαι, ep. IV, 4 τῶν ἤδη γεγενημένων ἐστίν, § 5 ἀδυνάτων ἐφίεσθε.

Ex iis, quae de sermonis ornatu disseruimus, intellegi censeo et Demosthenicum quendam colorem et propriam aliquam dicendi rationem in epistulis cognosci.

Tertio loco, ut erat propositum, transire liceat ad considerandam compositionem sententiarum. In Demosthene autem cum varietatem componendi maxime admiremur, in epistulis nostris varietatis inopia offendimur, quam neglegentia illa scribendi in epistulis permissa omnibus locis excusare vix poterimus. Videbimus autem epistularum auctorem interdum cum Demosthenica ratione scribendi convenire vel eam imitari, saepius etiam a summi oratoris arte longe distare.

Optime Demosthenes infinitivo coniuncto cum articulo qui vocatur sermonem variat. Demonstrare autem conatus est Siggius[1]) Demosthenem paullatim artem adhibendorum infinitivorum ita perfecisse, ut ea omnes qui antea erant oratores superaret. Tamen in epistulis saepissime quidem hic infinitivus usurpatur, plerumque autem pro subiecto et obiecto quod dicitur nominativo et accusativo casu; ita ep. II, 1, 8, 15, 17, ep. III, 8, 9, 13, 19 bis, 27 quinquies, 40 ter, 44 bis, ep. I, 4, 5, 12, ep. IV, 1, ep. V, 5. Genitivum invenimus ep. III, 15 οὐδὲν ἀθλιώτερον ἔσται τοῦ τὴν ὑπὲρ δήμου τάξιν αἱρεῖσθαι, § 36 τοῦ — ἐγκαταλείπειν, ep. IV, 2 τοῦ αἰσχύνεσθαι; dativus legitur ep. II, 14 τῷ πρῶτος εἰσιέναι, § 23 τῷ — ἐψηφίσθαι, ep. I, 12 τῷ — χρήσασθαι, § 13 τῷ — κατορθοῦν, ep. IV, 8 bis οὐ μόνον τῷ μὴ δεδουλευκέναι —, ἀλλὰ καὶ τῷ — δοκεῖν, § 11 τῷ διηγεῖσθαι. Ex praepositionibus pendet infinitivus his locis: ep. II, 15 εἰς δὲ τὸ μᾶλλον λυπεῖσθαι, ep. III, 5 πρὸς τὸ πέμψαι τὴν ἐπιστολήν, § 6 ἐν τῷ φῆσαι Λυκοῦργον, § 7 ἄχρι μὲν τοῦ δῆλον ὑμῖν ποιῆσαι, § 15 μέχρι τοῦ παρόντος χρῆσθαι, § 29 εἰς τὸ πολιτεύεσθαι, ep. I, 3 πρὸ τοῦ περιμεῖναι μαθεῖν, ep. V, 2 bis χωρὶς τοῦ μέλειν μοι — ἐκ τοῦ πεπληριακέναι, § 5 ἐκ δὲ τοῦ συμβουλεύειν. Semel etiam, quod hoc loco addam, bene toti enuntiato articulus praepositus est, ep. III, 12 τὸ τίνων καὶ τίνες εἰσὶν ἐξετάσας, id quod De-

1) In annal. phil. suppl. VI, p. 429.

mosthenicae rationi plane respondet (cf. or. 18,1 περὶ τοῦ πῶς ἀκούειν ὑμᾶς ἐμοῦ δεῖ et § 178 τοῦ πότε δεῖ βαδίζειν ἐκεῖσε et or. 3,2).

Participia tamen absoluta, ut ἐξόν, δέον, προσῆκον, παρόν, quae quotquot in corpore orationum Demosthenicarum exstant Schulzius in diss. laud. p. 59 enumerat, in epistulis frustra quaeres. Ceterum locis quos Schulzius collegit quibusque Uhlius in diss. l. p. 86 (cf. etiam Windel. l. l. p. 13) aliquos addidit, etiam adiciendum est προσῆκον or. 19,261 et ὡς — δέον prooem. (47).

Hiatus cum in ceteris epistulis non frequens sit, in tertia quintaque saepius invenitur. Quare Benseler [1]) dicit: „Ex his igitur epistulis certe tertiam et quintam (hanc cum [G. H.] Schaefero) Demostheni abiudicandas esse arbitror, de ceteris id minus facile poterit probari. Hoc enim sane affirmarim Demosthenem in eiusmodi epistulis publice missis hiatu abstinuisse, quod in ceteris etiam factum esse videmus.“ Blassius vero cum de quinta epistula idem quod Benseler sentiat — dicit enim ille [2]): „Im 5. Briefe finden sich mehrere Hiaten, die doch Demosthenes in seiner Jugend noch strenger als später mied“ —, de tertia epistula aliter iudicat hanc ferens sententiam: „Anstössige Hiaten finden sich in den 71 Paragraphen (sc. secundae tertiaeque epistulae) nur drei bis vier“ (p. 391). Attamen cum in secunda epistula unus tantum hiatus (§ 20: μοι ὑπάρχειν) insit, atque novem illorum hiatuum, quos Benseler e tertia epistula deprompsit, unus a Blassio coniectura (§ 10 βουλεύεσθαι ἐγνώκατε; alterutrum enim, sive ἐβουλεύεσθε sive ἐγνώκατε, scribi vult) tollatur, relinquuntur octo hi tertiae epistulae hiatus, § 18 πόλει ἰσχύει, § 26 Ἀλεξάνδρου ἀφέντες, § 27 παρακαταθέσθαι ἑαυτόν, § 33 πολιτευόμενοι οὐδένα; hunc vero esse hiatum Blassius fortasse negabit, quia in voce πολιτευόμενοι coli quod vocatur finis sit, § 35 φαίνεσθαι ἔχων, § 39 μοι ἄφιξιν, § 40 ἐπίστασθαι αἰσχύνεσθαι, § 44 εὐνοίᾳ οὕτως. Itaque ex his argumentis ab hiatu petitis nihil certi de epistularum fide colligi posse putaverim.

Nec vero magis ex ea lege, quam Blassius observavit et rhythmicam appellavit, secundum quam Demosthenes cavet ne plus quam duae breves syllabae deinceps sequantur, de epistularum auctoritate certum iudicium ferri potest. Nam ut quintam sextamque epistulam, in quibus lex illa omnino neglecta [3]) est, mitta-

1) De hiatu in oratoribus atticis et historicis graecis, Fribergae 1844, p. 155.

2) Die att. B. III, 1, 379,4.

3) Cf. Blass. l. l. p. 397, annot. 4 et 2.

mus, in quarta epistula, quam Blassius quoque Demosthenicam esse negat, lex illa diligenter observata est[1]), in secunda et prima, quae epistulae a Blassio Demostheni adscribuntur, est violata. Blassius enim quamquam de secunda et tertia epistula l. l. p. 391 haec proponit: „Ebenso ist das rhythmische Princip des Demosthenes gewahrt", tamen in annotatione huius paginae quarta ipse haec dicit: „Rhythmisch anstössig sind im 3. Briefe nur 2 Stellen (§ 30, 43), im 2. Briefe 5 Stellen (§ 14, 15, 17, 17, 20)"; in viginti sex igitur secundae epistulae paragraphis contra legem illam quinquies peccatur; de prima autem epistula Blassius dicit (p. 396,3): „(Anstössige Hiaten kommen nicht vor,) Häufungen von Kürzen etwa 15."

Deinde nimia quaedam similitudo in componendis sententiis est conspicua. Maxime enim auctori epistularum illud in deliciis est, ut sententias ita struat, ut semel vel saepius negative, tum vero affirmative eadem res explicetur. Ita leguntur ep. II, 11 haec: *ἐπολιτευόμην γὰρ — οὐχ ὅπως — σκοπῶν, οὐδ᾽ — ἀκονῶν, ἀλλ᾽ ἀφ᾽ ὧν ἐνόμιζον.* Confer etiam ep. II, 24: *ἐπ᾽ οὐδενὶ — ἠδικηκότα με εὑρήσετε οὐδ᾽ ἐπιτήδειον ἄτιμον εἶναι οὐδ᾽ ἀπολωλέναι, ἀλλὰ καὶ εὔνουν — καὶ πλεῖστα πεπραγματευμένον — καὶ μέγιστα ὑπάρχοντά μοι κατ᾽ ἐμαυτὸν σύμβολα εὐνοίας πρὸς ὑμᾶς.* Animadvertendum autem est ultimam particulam aliter atque antecedentes annexam esse. Nam cum adiectiva et participia *ἠδικηκότα, ἐπιτήδειον, εὔνουν, πεπραγματευμένον* cum *με εὑρήσετε* coniungenda sint, postremo structura ita mutatur, ut *ὑπάρχοντα* non ex *με εὑρήσετε* pendeat, sed solum *εὑρήσετε* intellegendum sit; qua re inconcinnitas quaedam nascitur. Similiter atque in exemplis supra prolatis res se habet ep. III, 2 seq.: *ἐκεῖνος γὰρ — ταῖς τοῦ δήμου προαιρέσεσι προσένειμεν ἑαυτὸν, οὐχ ὅτι — ὑπῆρχε λαμβάνειν· ἀπὸ γὰρ —· οὐδ᾽ ὅτι — ἑώρα· πολλοὺς γὰρ —· ἀλλ᾽ ὅτι — ἦν.* Videmus etiam bis eodem modo explicationes quasdam (*ἀπὸ γάρ* et *πολλοὺς γάρ*) parenthetice insertas esse.

Etiam in enuntiatis relativis epistularum auctor eandem rationem sequitur. Scribit enim ep. II, 18 haec: *εἴς τε γὰρ πόλιν ἦλθον, οὐκ ἐν ᾗ —, ἀλλ᾽ εἰς ἣν —, καὶ παρ᾽ ᾗ —, ἔστι δ᾽ ἡ Τροιζηνίων αὕτη, ᾗ —* (§ 19), denique *τε* particulae supra positae respondet *ἔν τε ταύτῃ* (§ 19); ep. III, 21: *παλαιῶν ὄντων τῶν χρόνων, καθ᾽ οὓς —, καὶ δι᾽ ὧν —, οὐκ ἐξ ὧν —.* Similem membrorum concinnitatem vel parallelismum, ut ita dicam, praebet

1) Ibid. p. 394: („Der Hiatus ist vermieden,) das rhythmische Prinzip sorgsam gewahrt."

enuntiatum hoc, ep. II, 13: *ἀπορῶ τί πρῶτον ὀδύρωμαι τῶν παρόντων κακῶν· πότερον τὴν ἡλικίαν, ἐν ᾗ —, ἢ τὴν αἰσχύνην, ἐφ' ᾗ —, ἢ τὰς ἐλπίδας, ὧν —*. Ceterum, ut hoc statim commemorem, offendimur in eo, quod *πότερον* cum duplici *ἤ* coniunctum est. Proprie cum *πότερον* „welches von beiden" sit, tertium membrum exclusum est. Tamen etiam apud Demosthenem semel quantum vidi idem invenitur, or. 23,23: *πότερα ξένος ἢ μέτοικος ἢ πολίτης ἐστίν*. Contra conferas or. 21,194: *τί λέγεις, ὦ μιαρὰ κεφαλή; σὺ τὰ σαυτοῦ παιδία ἀξιώσεις ἐλεεῖν ἢ σὲ τούσδε ἢ σπουδάζειν εἰς τὰ σά;*

Tum libenter epistularum auctor sententias pronominibus relativis inter se nectere solet. Saepissime enim loco pronominis demonstrativi cum particula aliqua coniuncti inveniuntur pronomina relativa; ita ep. II, 8 *οὕς τίνα γνώμην*, § 11 *ἐφ' οἷς ἅπασι μέν, μάλιστα δέ*, § 12 bis *ἐν οἷς ἐγὼ φανήσομαι* et *ὧν ἕκαστον — λογίσασθε*, § 14 *ἐξ ὧν πάντων δῆλόν ἐστιν*, § 19 *ἐξ ὧν καὶ μάλιστ' ἄν*, § 25 *ἃ ἐπισκοποῦντες*, ep. III, 1 *ὑπὲρ ὧν — τότε συγχωρήσετε*, § 33 *ἃ χρή*, § 41 *ὧν οὐδὲν ὑμεῖς συλλογίζεσθε*, ep. IV, 2 *οἷς πάνυ*, ep. V, 3 *ἧς — μὴ οὐχὶ ἀψευδεῖν — ἡγοῦμαι*, § 5 *ἣν καὶ σὺ ποίησαι πρὸς ἐμέ*. Praeterea longiores continuationes verborum brevioribus enuntiatis relativis neglegenter tantummodo annexis concluduntur, interdum sub forma adhortativa vel optativa, ut ep. II, 8 bis et *ἃ τῶν συνειδότων ἔτι πολλοὶ ζῶσιν* et *ἣν τῷ μεταγνῶναι λύσετε*, § 10 *ἐν αἷς οὐδὲν ἠλαττώθητε*, § 20 *τὴν πατρίδα —, εἰς ἥν*, § 25 *ἃ πάντα ποιεῖ με ὀδύρεσθαι*, ep. III, 2 *ὧν — ἂν — ἔχοιτε χάριν, εἰ*, § 4 *ἐφ' οἷς εὐθὺς ἐξητεῖτο, ὡς ἅπαντες ἴσασιν*, § 34 *ὧν διαψεύσειεν αὐτοὺς ὁ λογισμός*, § 37 *ἣν — προσδοκᾶτε*, ep. V, 5. Et hoc loco addere mihi liceat formulam quae est *ἐφ' οἷς* cum diligentia quadam adhibitam esse, in secunda quidem epistula septies, § 5, 7, 8, 11, 12, 14 bis, in tertia ter, § 4, 14, 37, semel in quarta, § 11. Deinde haud pauca enuntiata optativa quae nos vocamus occurrunt: sunt autem haec, ep. II, 19 *ᾗ μάλιστα μὲν οἱ θεοὶ — εὖνοι πάντες εἴησαν, εἶτα κἀγὼ — δυνηθείην*, ep. III, 33 *μὴ γένοιτο δὲ ἰδεῖν*, § 34 *ὧν διαψεύσειεν αὐτοὺς ὁ λογισμός*, § 35 *ἐν οἷς — γένοιτο*, § 36 *οἷα τοῖς κακόν τι νοοῦσιν ὑμῖν περιγένοιτο*, ep. VI, 1 *οἵων εἰς κεφαλὴν τρέψειαν οἱ θεοί*.

De particulis primum hoc notetur ab auctore epistularum in initiis sententiarum *γάρ* particulam imprimis coniunctam cum negatione *οὐ* vel *μή* usque ad satietatem adamari. In secunda epistula *γάρ* his locis exstat: § 1, 3 (*μὴ γάρ*), 8, 11, 14 (*οὔτε γάρ*), 15 ter (semel *οὐ γάρ*), 16 (*οὔτε γάρ*), 17 (*οὐ γάρ*), 18, 20 bis (semel *οὐ γάρ*), 21 (*οὐδὲ γάρ*), 22 bis, 24 (*ἐπ' οὐδενὶ γάρ*), 26; in viginti sex igitur paragraphis octies decies. In tertia epi-

stula *γάρ* particula sexies et tricies invenitur: § 1, 2, 3 bis, — 12 (*οὐ γάρ*), 14, 19, 20 bis, 24 (*τίς γὰρ οὐκ οἶδε*), 25 bis, 27, 29 (*τίς γὰρ οὐκ οἶδε*), 33 (*οὐδὲ γάρ*), 34 bis —; praeterea autem a paragrapho quinta usque ad decimam enuntiata ita similiter incipiunt: *ἐπέστειλα μὲν οὖν ἄν* — *οὐ μὴν ἀλλά* — *παραιτοῦμαι δέ* — *εὖ γὰρ ἴστε* (§ 5) — *οὐδεὶς γάρ* — *οὐ γάρ* (§ 6) — *νῦν τοίνυν* — *ἃ γάρ* (§ 7) — *ὅσα μέντοι* — *οὐδεὶς γάρ* — *τό τε γάρ* (§ 8) — *λείπεται τοίνυν* — *εἰς τί γάρ* (§ 9) — *καὶ μήν* — *οὔτε γάρ* — *εἰ γάρ* — *τίμημα δ'* — *εἰ δέ* (§ 10); eandemque similitudinem praebent initia enuntiatorum a § 41—45: *ὧν οὐδέν* — *οὐ γὰρ ἄν* — *καὶ τότε* — *οὐ γὰρ δή* — *καὶ τὰ λοιπά* (§ 41) — *οὐ μήν* — *οὔτε γάρ* — *εἰ δέ* — *οὐ γάρ* (§ 42) — *οὐ γάρ* — *οὐχ οὕτως* — *οὔτε γάρ* — *πῶς γάρ* (§ 43) — *καὶ μή* — *οὐ γάρ* — *ἀλλ' ἔχει* — *καὶ τοῦτ'* (§ 44) — *ἔγνωκα γάρ* — *ἡ γάρ* (§ 45). In ceteris epistulis particula *γάρ* minus saepe usurpata est; in prima enim quater, § 3, 7, 12, 13, in quarta septies, § 1, 2, 5, 7 (*οὐδεὶς γάρ*), 10 bis (*τοιγαροῦν*, *ἃ γὰρ ἂν καταράσαιτό τις αὐτῷ, ταῦτ'*), 12 (*ἃ γὰρ εἰπεῖν ἄν τις ὀκνήσαι* —, *ταῦτα*), in quinta epistula ter, § 1, 2, 5, in sexta non exstat. Unde initia enuntiatorum varietate carere satis apparet.

In usu earum vocum, quibus enumerationes introducuntur, nulla fere differentia cum modo Demosthenico statuenda est. Demosthenes plerumque *πρῶτον μέν* — *ἔπειτα* (omissa particula *δέ*), tum *πρῶτον μέν* — *εἶτα* dicit. In epistulis bis *πρῶτον μέν* — *εἶτα* (omissa particula *δέ*) legitur, ep. II, 17 (sequitur autem *ἔτι δέ*) et ep. III, 13. Deinde semel etiam *μάλιστα μέν* — *εἶτα* ep. II, 19 invenitur, cum qua formula compares or. 20, 1 et or. 23, 114. Confer Schulzii diss. l. p. 64 seq., qui omnia talium enumerationum exempla apud Demosthenem exstantia collegit, et Karlowae dissertationem, quae est: Bemerkungen zum Sprachgebrauch des Demosthenes mit Berücksichtigung andrer attischer Redner, in progr. Pless. 1883, p. 13, qui summatim hanc quaestionem tractat.

Semel in coniunctionis *ὡς* usu offendimur et quidem in locutione quae est *δῆλόν ἐστιν ὡς*. Legimus enim ep. IV, 3 haec: *ὅσα* — *δηλοῦσιν οἱ θεοί, δῆλον ὡς προλέγουσι*. Nam maxime usitatum est *δῆλόν* (*ἐστιν*) *ὅτι*, id quod etiam ep. II, 14 reperitur: *δῆλόν ἐστιν ὅτι καιρῷ τινι ληφθεὶς* — *περιπέπτωκα*. Semper apud Demosthenem *δῆλον ὅτι* (vel *δηλονότι*) legimus exceptis, quantum inveni, tribus his locis, or. 8, 16 *οὐδ' ἐκεῖνό γε δῆλόν ἐστιν ἡμῖν, ὡς ἐπὶ Χερρόνησον οὐχ ἥξει*, or. 18, 10 *δῆλον γάρ, ὡς ὁμοίως ἅπαντ' ἐπλάττετο*, or. 23, 163 *οὐ τοίνυν ἐκ τούτων πω δῆλόν ἐσθ', οὕτω σαφῶς δῆλον ὄν, ὡς οὐδὲν πιστόν ἐσθ' ὧν ἐκεῖνός φησι*. Addo etiam in hypothesibus orationum 22 et

24 haec inveniri: *δῆλον ὡς οὐδὲ τὸ δοῦναι συγκεχώρηται* et *δῆλον ἐντεῦθεν εἶναι ὡς οὐκ ἐκείνων ἕνεκα τὸν νόμον εἰσέφερεν αὐτός*. Inusitata haec quoque locutio est: *γενήσεται δῆλον ὡς σφόδρα δεῖ λῦσαι* or. 23, 141 similiterque § 162. Praeterea autem *δῆλον* cum *ὡς* et participio coniunctum imprimis apud poetas saepius inveniri notum est, ut etiam apud Demosthenem or. 23, 118 *ἐκεῖνον ἐποιήσασθε πολίτην δῆλον ὡς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον εὔνουν ἡγούμενοι καὶ φίλον*; cf. Lys. 12, 90 *δῆλοι ἔσεσθε ὡς ὀργιζόμενοι τοῖς πεπραγμένοις*.

Ep. V, 4 leguntur haec: *ἃ δὴ ὑπολαμβάνων παρεωρᾶσθαι καὶ πεφενακίσθαι*. Maxime autem offendit nos, quod *ἃ δή* cum participio coniunctum est eodem modo, quo alias *οἷα* vel *οἷον δή* aut *ἅτε* scribitur. Cuius simile in nulla oratione Demosthenica quidquam inest. Etiam G. H. Schaefer ad hunc locum annotat: „I. q. *ἅτε δὴ ὑπολαμβάνων*: *ποιητικωτέρως* illud dictum, ut facile agnoscas sophistam venantem insolentiora. Vid. ad Soph. Aiac. 1043. Quamquam videndum ne scribi praestet *οἷα δὴ ὑπολαμβάνων*. Quae mutatio tam facilis est, ut nequeat esse facilior." Sophoclis locus hic est:

καὶ τάχ' ἂν κακοῖς
γελῶν ἃ δὴ κακοῦργος ἐξίκοιτ' ἀνήρ.

Lobeckius in commentario ad hunc versum addit haec: „Singulare est et olim addubitatum *ἃ δή* pro *ἅτε* vel *οἷα δή*, sed satis munitum Nicandri exemplo Alex. 215 — Dem. ep. V, 1490 A *ἃ δὴ ὑπολαμβάνων*. Schaeferus *οἷα δή* scribi vult."

Addere liceat locutiones quasdam minus usitatas, veluti ep. II, 17 *ἔτι δ' οὐδ' ὑμᾶς ἐνόμιζον ἀβουλεῖν ἔξω με προπηλακισμοῦ γενέσθαι*, ep. V, 3 *ἧς μὰ τοὺς θεοὺς τῷ μετασχόντι μὴ οὐχὶ ἀψευδεῖν*; permagna est cumulatio negationum ep. II, 9, ep. III, 8, ep. I, 6, 8. Ita a communi ratione dicendi recedunt complures loci, ut ep. III, 5 *πολλῷ προθυμότερον πρὸς τὸ πέμψαι τὴν ἐπιστολὴν ἔσχον*, ep. III, 38 *ἃ τοῖς τολμῶσι μηδὲν ὑμῶν φροντίζειν μὴ λαβοῦσι παρ' ὑμῶν ἔξεστιν ἔχειν*, § 41 *ῥημάτων μοι καὶ φιλανθρωπίας φθονοῦντες*, ep. I, 7 *οὐδ' ἐν δυνατῷ* (sc. *ἐστι*), § 12 *χαλεπωτάτην τάξιν ἔχει τὸ συμβουλεύειν*. Epistulae quartae Blassius (l. l. p. 394, 1) his locis offenditur, § 8 *οἷς ἐν συμμαχίᾳ συνέβη γενέσθαι Φιλίππῳ*, § 12 *κινῆσαι τὴν ἐν ὑμῖν μνήμην τῶν παρόντων αὐτῷ κακῶν*. In his auctorem simpliciora aspernantem et „insolentiora venantem" cognoscimus.

Ut tandem comprehendamus ea, quae de compositione sententiarum diximus, etiam inde intellegi arbitror epistulas tempore eo compositas esse, quo Demosthenis ratio dicendi floruit. Quamquam multis locis epistularum auctorem in componendis sententiis suum quoddam institutum consequi vidimus.

Haec habui de Demosthenicarum quae feruntur epistularum fide quae dicerem: spero fore ut epistulas a Demosthene abiudicandas esse peritioribus persuadeam.

Postremo restat, ut de auctore vel potius de auctoribus epistularum pauca dicamus. Quaeritur enim, sintne omnes sex epistulae eidem auctori adscribendae. Sermonem quidem per omnes epistulas eundem fere esse videmus. Ut singula quaedam afferam, vox quae est *ἧττα* in conclusionibus et epistulae tertiae et primae adhibita est; item formula *καλῶς ποιοῦντες* pariter in tribus primis epistulis, locutio quae est *ἐπί τινι εἶναι* et ep. II, 20 *ἃ γὰρ ἐφ᾽ ἑτέροις ἐστίν* et ep. I, 15 *ἐφ᾽ ὑμῖν ἐστιν* invenitur; ut ep. I, 16 ita etiam ep. IV, 3 explicatur Atheniensibus faustas sortes oraculis datas esse; conferas etiam ep. III, 34 *πολλῆς ἐστιν εὐηθείας μεστός* et ep. IV, 11 *παρρησίας μεστός;* tum locutio quae est *τρέπειν εἰς κεφαλήν*, de diis dicta, et ep. IV, 10 et ep. VI, 1 tradita est. Ne quartam quidem epistulam tantum a tribus primis epistulis distare arbitror, quantum Blassius [1]) quidem putare videtur. Omnes vero epistulas nostras eo tempore compositas esse censeo, quo Demosthenis genus dicendi in usu erat; id quod Blassius ipse pag. 394 de quarta epistula concedit: „Das Schriftstück ist also gleich manchen unechten Reden in einer Zeit verfasst, wo die Principien des Demosthenischen Stils im Ganzen noch im Bewusstsein lebten."

Attamen si sermonem mittimus et res gestas in epistulis commemoratas totamque rationem rei tractandae consideramus, sine dubio secunda tertiaque epistula longe praestantissimae sunt; quas quidem ab eodem auctore confectas esse manifestum est. Vidimus autem huius auctoris scientiam eorum temporum, quibus Demosthenes vixit, haud mediocrem esse eumque artem rhetoricam profiteri. Tamen demonstravimus eum et errores commisisse et rhetorica adeo adamasse, ut etiam logicam rationem neglegere non vereretur. Sed etiam eloquentiae magis magisque corruptae vestigia invenimus, quae maiore libertate in epistulis permissa excusari non possunt. Demosthenis autem sermonem auctor imitatus est et nonnullos locos ex eius orationibus in epistulas transtulit. Secundae tertiaeque epistulae in universum similis est prima, quare eiusdem auctoris eam esse arbitror. Haud ita certa res est de quarta epistula neque diiudicare audeo, sitne haec quoque epistula auctori trium primarum attribuenda. Quintam alius cuiusdam auctoris esse putaverim. De sexta denique epistula, quia brevior est, certum iudicium ferri non potest.

---

1) D. a. Beredts. III, 1, 394.

Index.

VITA.

Albertus Neupert Dresdae die XI° ante Kal. Apr. anni h. s. quinquagesimi septimi natus sum patre Lobegotto, matre Wilhelmina e gente Eichertiana, quos ambos vivere laetor. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum rudimentis imbutus gymnasium Dresdense quod est ad sanctam crucem Hultschio rectore tredecim annos natus adii. Septuagesimo septimo h. s. anno maturitatis testimonio accepto Lipsiam me contuli scholiasque frequentavi Arndtii, Braunii, Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Gardthausenii, Heinzii, Langii, Lipsii, Meyeri, Nordenii, Ribbeckii, Voigtii, Wenckii, Windischii, Wundtii, Zarnckii. Proseminarii philologici fui sodalis, seminarii et philologici et Germanici et paedagogici exercitationibus per complura semestria spatia interfui. Ad societatem antiquariam Graecam Lipsius, Langius ad Latinam benigne aditum mihi dederunt. Quibus viris doctis omnibus maximam gratiam habeo semperque habebo.